dæ & ſciendæ ſunt. His alijs multis cauſis meos hos cæptos conatus fouebitis, quod ſi facietis,& potero inquirere & inquiram omnia diligentius, cõſultis ultro citroq; Hiſtoricis & collatis Genealogijs aliorum Heroum. Hoc modo & quæ iam oſtendo integriora dabo & quæ deſiderantur attexam ſedulo,ac ita eadem,aut carmine,aut ſoluta legibus oratiõe edã,ut ſperẽ me et ueſtrę expectationi & doctorum cenſuris ſi non abundè aliqua certè ex parte ſatisfacturum. Qua in re cum neq; mea uoluntas,quam meis principibus debeo,neq; mediocris eruditio,quam qualemcunq; laboribus aſſequor mihi deſit: illuſtriſſimi principes,in patrocinium meas Muſas,quæ & Eccleſiæ & reipublicæ DEI beneficio prodeſſe, & in primis ueſtras laudes illuſtrare poterunt,ſuſcipietis,quod ut facitis, V. C. ut æquum eſt rogare clientem,rogo.

FINIS.

(48402) 7

ORATIONES
ALIQVOT RECITATAE IN ACADEMIA VVITEBERGENSI EO TEMPORE,

quo prælectiones publicas Reuerendi & clariſsimi Viri Philippi Melanthonis, obitu huius interruptas, aliqui ex profeſſoribus de conſilio Academiæ continuare ceperunt.

VVITEBERGAE.

EX OFFICINA TYPOGRAphica Viti Creutzer.

1560.

SCRIPTVM PVBLICE PRO-
positum in Academia Vuitebergensi, de ordine aliquot lectionum Publicarum constituto post piam & fœlicem obitum Domini
PHILIPPI MELANTHONIS,
Die 23. Aprilis

VICE RECTOR ET PROFES-
sores Academiæ Vuitebergensis.

EGREGIA PICTVRA EXTAT IN Argonauticis Apollonij, qua exprimitur inconstantia fœlicitatis humanæ, et mutabilitas euentuum in negotijs rite quoq; & consulto susceptis. Fingit enim Poeta, Argonautas superatis maximis difficultatibus & periculis longæ nauigationis ex Pagasis usq; Thessaliæ, per angustias Hellesponti & per Cyaneos scopulos ægre seruatos, & iam latum Euxini Pontum sine magno metu nauigantes, apud Mysos amisisse Herculem, cuius discessu, etsi dolebant, se tanti Herois præsidio & uirtute destitui, tamen non ita consternantur, ut de mutando cursu nauigationis suæ cogitent, Sed procedunt ad Maryandineos, ubi cum à Rege Lyco magnifice excipiuntur, & hospitalitate inusitata leti recreantur, gaudium illud mox in mœsticiam acerbissimam commutatur. Nam ibi primum Vatem suum Idmona, paulo post etiam sapientissimum & fœlicissimum Rectorem nauis, Typhin, ambos morte inopinata sublatos, amittunt. Quo demum tristi casu ita conturbantur, ut deliberationem instituant, an abrumpere nauigationem, institutam ad petendum uellus aureum, & relicta naui Argo quisq; pro sua commoditate ad suos reuerti debeant. In hac fluctuatione animorum & quasi desperatione fingit Poeta monitu Deæ Iunonis confirmatos Argonautas, substituto alio rectore qualicunq; ex suo cœtu, cui reliqui communicationem operarum suarum promiserint, prouexisse nauem in Colchidem.

Ita nostra Argo duriter adflicta est, auocato hinc reuerendo Viro D. D. Iusto Iona, & euocato ad cœlestem uitam præstanti Heroe Reuerendo uiro D. Martino Luthero, quo tempore etsi fortissimo propugnatore syncere Euangelij doctrinæ priuata hæc Schola merito uehementer doluit, tamen cum haberet adhuc aliquos fideles συμμάτας & socios Lutheri superstites, Doctorem Bugenhagium, D. Crucigerum, D. Forsterum, & peritissimum rectorem nauis huius Philippum Melanthonem, minus adhuc sentire potuit iacturam & calamitatem illam suam. His uero etiam ante annos aliquot ereptis, & nunc postremo gubernatore suo fœlici, & uigilanti & fideli destituta Academia nostra, cladem accepit tantam, quæ merito consternatos reddere omnes reliquos nautas & uectores huius Cymbæ, & in dubitationem adducere possit, abijcere remos & deserere nauim & abrumpere institutum cursum: an uero tantæ molis & periculi nauigationem porro continuare conari debeant. Multa sane sunt, quæ nos grauibus de causis terrent, qui & imbecillitatem nostram agnoscimus, & cernimus hanc nauim per acutos & asperos scopulos non sine maximis laboribus & difficultatibus propellendam esse, & prospicimus nõ fallacia signa horribilium tempestatum & procellarum, quas paulo post maris tranquillitatem nobis turbaturas non inani formidine metuimus.

Sed nos in statione nostra retinet diuini mandati & promissionis authoritas, quæ iubet, ut in sua quisq; functione, non lætis tantum temporibus, dum faciles & suaues sunt operæ, sed asperis etiam & periculosis subsistat, & in imposito munere non tantum diligentiam et fidem, sed etiam tolerantiam et constantiam, cum fortitudine coniunctam, præstet. Sic enim inquit filius Dei Luc. 9. Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei. Et ad Ebræos, Non deserentes congregationem uestram. His & alijs mandatis Dei mouemur, ut hanc Argo non deserendam esse statuamus, quamuis & nostræ infirmitatis sensus, & immunentium certaminum ac periculorum atrocitas, multa nobis suggerant, quorum consideratio merito nos turbat, quibus tamen rursus opponimus promissiones certissimas filij Dei, qui cum nos in hanc nauim collocarit, & remis adhibuerit, sicut hactenus clementer

ter nos iuuit, & protexit, ita promittit etiam porro nobis suam præsentiam & auxilium, inquiens: Manete in me & ego in uobis. Item, Non relinquam uos Orphanos. Item, labor uester non erit irritus IN DOMINO. Item, uirtus mea in infirmitate perficitur.

His mandatis & promissionibus ueracis Dei confirmati, deliberatione graui & diligenti adhibita, distribuimus operas lectionum, sicut paulo post exponemus, ita quidem, ut & plures addiderimus prioribus, & eas, quas Dominus Philippus hactenus consueuit usurpare, aliquandiu obeundas inter Collegas quosdam nostros partiti simus. Speramus enim Illustrissimi Principis ac Domini Domini Augusti Ducis Saxoniæ Electoris, huius Scholæ clementissimi & munificentissimi nutritoris, cura et consilio, alium eruditione et cæteris donis excellentem uirum quæsitum iri, cui substituto in locum defuncti D. Philippi, eiusdem operæ tuto et utiliter committi queant. Interea uero donec talis aliquis idoneus inueniatur, decreuimus ex re Scholastico rum fore, si illas ipsas lectiones, quas Dominus Philippus sustinuit, per nostros Collegas iuuentuti studiosæ proponi utcunq; curaremus, qui, quod bonos et publicæ utilitatis amantes uiros decet, a nobis rogati, eo se adduci passi sunt, ut quamuis intelligerent se eadem dexteritate & fœlicitate & fructu illas operas obire non posse, quo eas Dominus Philippus nobis præstitit, tamen pro sua uirili operam darent, ut, ordo lectionum hactenus consuetus conseruaretur

Quare quod faustum sit ac salutare toti Scholæ, & in primis cœtui discentium, significamus uobis ordinem lectionum publicarum, & quidem illarum tantum, in quibus mutatio aliqua facienda fuit. Nam pomeridianæ ferme omnes suo in loco & ordine & horis consistent.

Quod ad lectiones Domini Philippi attinet, exorauimus clarissimum uirum, eruditione ac uirtute præstantem, Dominum Vitum Ortelium artis Medicæ Doctorem, qui ferme quadraginta annos in hac Academia priuatim & publice Artes dicendi & linguam Græcam professus est, Vt horanona diebus Lunæ & martis Dialectica precepta iuuentuti explicet. Euripidis interpretationem retinebit per alterum biduum

hora octaua consueta. Ad has lectiones super addet horam nonam post concionem die Mercurij, qua proponet incipientibus discere linguam Græcam, Grammaticam Domini Philippi, & paululum in ea progressus, ut habeant auditores, exempla regularum, addet interpretationem Græce historiæ Diui Lucæ Euangelistæ, quæ inscribitur Acta Apostolorum.

A Domino Pastore Paulo Ebero, quamuis occupato gubernatione Ecclesiæ huius, impetrauimus, ut promiserit nobis se continuaturum enarrationem Epistolæ Pauli scriptæ ad Romanos, hora nona dierum Iouis & Veneris. Et quia scimus Lectionem matutinam diebus Dominicis plurimum utilitatis auditoribus attulisse, & eam ualde cupieremus etiam propter Scholasticos peregrinos retineri, qui conciones germanicas non intelligunt, etiam illam aliquandiu in se ut reciperet Dominus Pastor, nostris precibus tribuit. Horum Collegarum nostrorum robur corporis & animi, ut Deus confirmet, ut hos labores, quos supra alios non leues publicæ utilitatis causa in se suscipiunt, cum fructu auditorum sustinere possint, Vos ut pios discipulos decet, Deum ardenter orabitis.

Præterea cum Ethicam lectionem in Schola retineri maximopere sit necessarium, eam partem Philosophiæ explicandam demandabimus M. Petro Vincentio, hora secunda diei Mercurij.

Chronicon, quod à Domino Philippo à condito mundo usq; ad Caroli magni tempora fœliciter deductum est, rogatus à nobis clarissimus & eruditissimus uir Caspar Peucerus Artis Medicæ Doctor, Domini Philippi Gener, Deo adiuuante pertexet, eiq; dictando tribuet horam nonam diei Saturni.

Hoc ordine distributæ sunt lectiones Domini Philippi, quæ etsi longe dissimilibus Præceptori impositæ sunt, tamen ut speramus, non sine fructu audientur ab ijs, qui & discendi amorem, & studij diligentiam, & iudicij candorem, & præsertim non omnia excellentissima requirentem, sed contentam mediocritate, ad eas lectiones audiendas attulerint.

Nunc reliquarum lectionum ordinem adiungimus, M. Sebastianus Theodoricus, cui illustrissimi Electoris uoluntate lectio Mathematica imposita est, primum librum Euclidis explicabit diebus Lunæ & Martis mane hora septima, qua & D. Paulus Crellius locos Communes enarrare solet

Præterea, ut studiosa iuuentus plures lectiones habeat, & ad rationem scribendorum Versuum adsuefieri possit, Impetrauimus à doctissimo uiro Doctore Iohan: Maiore Vallensi, ut Lucani libros de bello Ciuili, gesto inter Iulium Cæsarem & Pompeium, diebus Lunæ & Martis, hora octaua, iuuentuti explicet, Sed alterius bidui, hora septima interpretetur sapientissimi Iesu Syracidæ Græcas sententias, ab eruditissimo uiro Domino Ioachimo Camerario amendis repurgatas et Scholijs illustratas.

Cæteræ lectiones pomeridianæ, Sphærica, Physica, Theologica, Grammatica, & Rhetorica, nihil habebunt mutationis, quod ad horas & ordinem attinet.

Hæc erit series et ratio lectionum post hanc tristem mutationem, quas quidem ita ordinauimus, ut potuimus, ex qua ipsa tamen distributione liquido constabit auditoribus nostris, nihil nobis prius & optabilius, esse quam rectissime consuli studijs discentium, quibus etsi eos fructus polliceri à nobis non possumus, quos ex Lectionibus præceptoris, omni genere donorum excellentissimi, fœlicissimi, exercitatissimi Doctoris percipere potuerunt: Tamen fidem uobis nostram & in legendo assiduitatem, & alia officia, quæ a sedulis gubernatoribus in obsequentes discipulos proficisci & expectari debent, ita promittimus, ut speremus uos re ipsa experturos, nos iuuandi & fouendi huius cœtus Scholastici quam cupidissimos esse, nec recusare uel labores uel pericula, dum modo etiam lucem cœlestis doctrinæ & omnium partium Philosophiæ, quæ per supra commemoratos Doctores singularia Dei organa in hac Academia et Ecclesia accensa est, illustratam pro nostra uirili ad posteritatem transmittere possimus.

A uobis autem uicissim exigimus illa, quæ sunt officia gratorum & morigerorum auditorum, ut nostræ sedulitati uestra diligentia & obedientia respondeat. Deinde ut gubernationem disciplinæ, & publicæ tranquillitatis conseruationem morum uestrorum modestia facilem reddat.

Videtis

Videtis in quà mœsticiâ omnes simus, non tantum propter amissionem huius nobis carissimi Patris, Verum etiam propter metum impendentium malorum et mutationum, quas cum alia plurima signa minantur, tum etiam hæc ipsa talium bene meritorum & Deo carorum hominum a nobis auulsio portendit. Nolite igitur carissimi auditores per Deum, nolite nobis cumulare miserias, & uobis etiam accersere pœnas morum feritate.

Seuere etiam prohibemus, ne quid in Ciues huius Oppidi uiolentum moliamini. Audimus enim quosdam ex uobis nescio quibus ciuibus minitari ob incertos sermones, quibus aliqui incogitantius dicuntur usi ante uel post mortem Domini Præceptoris, cum tamen de authore non constet, & nobiscum quidam fuerint, in quos suspicio aliquorum inclinare dicitur, qui sancte iurando suam nobis innocentiam probarunt. Et quæ nam est temeritas, cæcis suspicionibus & incertissimis sermonibus uos credentes, uelle iam hunc, iam alium innocentem, odio & iniurijs onerare? Vidistis eo die, quo funus ad templum Arcis deduximus, quam manifesta signa non simulati luctus ediderint ciues quoq;, quos nequaquam existimetis tam ferreos esse, ut publicis & suis incommodis non adficiantur. Et si quis ex illis fuisset adeo incogitans, & tale quid inconsideratius dixisset, quæ ista crudelitas foret, eiusmodi temerariam uocem, ui ulcisci uelle, cum Magistratus officium in eiusmodi delicto requiri possit ac debeat.

Quare sitis per Deum modesti, & adiuuate communem tranquillitatem, & iuste colite iure hospitalia, quæ Deus seuere requirit, & uiolantes ea horribiliter punit, sicut etiam Ethnici dixerunt.

Ζεὺς ἐπιτιμᾷ τῶν ἱκετῶν ξείνων τε, ξείνιός &c.

Scitis etiam mandato Illustrissimi Electoris sancitum esse, ne quid publice hic edatur, quod non prius iudicio gubernatorum Academiæ approbatum fuerit, & huiusmodi scripta ferme ad Dominum Philippum delata fuisse hactenus, quod tamen ab aliquibus adhuc uiuente ipso neglectum esse constat, qui quædam indigna editione, quædam etiam contumeliosa in uiros bonos, nemini prius exhibita, ausi sunt in uulgus spargere.

Pro-

Prohibemus igitur serio, ne quis posthac excudi sinat quicquam, quod non prius Rectori, quatuor facultatum Decanis, & pastori huius Ecclesiæ perlegendum obtulerit, & illorum testimonio approbatum uiderit.

Quod reliquum est, cum uerissime dictum esse statuamus à Prophetà Ieremia: Scio Domine, quod non est hominis uia eius, neq; uiri dirigere gressus suos, Et illud Dauidis: Nisi Dominus custodierit Ciuitatem, frustra uigilat, qui custodit eam, Et illud filij Salomonis: Vt oculus uideat, & auris audiat, Dominus facit utrumq;: toto pectore oremus Dominum nostrum Iesum Christum crucifixum pro nobis & resuscitatum, qui dixit: Ego sum Vitis, uos Palmites, sine me nihil potestis facere, quiq; Cymbam Nohæ in medijs fluctib. uasti diluuij periculose fluctuantem inter procellas & scopulos rexit ipse ac protexit, ut hanc nostram quoq; Argo, quæ tot præstantes Heroas, monstratores non quidem aurei uelleris, sed agni diuinitus missi ad tollenda peccata mundi, uexerit, & paulatim amisit, & nunc etiam recens hoc fideli & perito gubernatore suo destituta est, ipse clementer regat, conseruet, & propugnet aduersus omnia pericula & incommoda, & pariter adiuuet pios conatus docentium & discentium, ut hæc Ecclesia & Schola diu sit templum Dei, in quo audiatur incorrupta uox filij ipsius Domini nostri Iheſu Christi, & recte inuocetur ac colatur uerus Deus, & sit officina pietatis, modestiæ, castitatis, & aliarum omnium uirtutum. Datæ 23. die Aprilis

1560.

ORATIO QVA A VICERE-ctore Academiæ Vuitebergensis Georgio Maiore Sacræ Theologiæ Doctore, post obitum D. Philippi Melanthonis significata est Scholasticis Vuitebergensibus Illustrissimi principis ac Domini D. Augusti Ducis Saxoniæ & sacri Imperij Electoris atq; Archimarschalli etc. Domini nostri clementissimi, optima erga Academiam uoluntas.



TRVMQVE PRAEDIXIT VOX DIVIna, & exorituras esse in genere humano maiores rerum perturbationes, atq; opinionum & dogmatum confusiones tetriores sub extremam mundi ceu fathiscentis senectam, & tamen Deum ex reliqua fece hominũ usq; ad mundi finem, cũ ratiũ ministerio Euangelij æternam hæreditatem filio, et hanc umbraculo alarum suarũ tectam conseruaturum inter collisiones & ruinas imperiorum, et falsarum opinionum conflictus, ut sint aliqui, qui coniunctis animis doctrinæ consensu, & concordi inuocatione, quæ nitatur fiducia Christi mediatoris, ac certa firmaq; spe æternæ uitæ, ipsum colant ac celebrent etiam in hac uita. Vtrumq; euentu compleri, certissimo argumento appetentis liberationis, res ostendit.

Minitantur & denunciant, imo pene intentant orbi Christiano clades immensas, quæ præter usitatum naturæ ordinem & cursum, in multis naturæ partibus conspecta sunt prodigia aliquot annis.

Crescit Tyrannis apud hostes patefactæ ueritatis, quorum aliqui cum dissimiles sint, dudum detectas superstitionum fraudes & refutatas euidenter, ea tamen scientia retinere ac stabilire πρὸς τὰ κέντρα λακτίζοντες, aliqui prophanitatem quam inuehunt augere conantur.

Quot & quàm præstantes uiros studium et professio agnitæ ueritatis adegit ad rogos & incendia in regno Gallico? Ad commemorationem immanitatis supplicíorum, quibus pij excruciati in Hispania, tandem comburuntur, ita cohorrescunt mentes, ut pene exanimentur.

Recens in ea Celtiberorum parte, quæ Pyreneis montibus & Narbonensi Galliæ uicina, à ueteribus Gottis & Alanis Catalauniæ nomen retinuit, & antiquitus ante Gotticas & Vandalicas irruptiones Castellanorum sedes fuit, supra tria millia hominum in carceres detrusa & ad flammæ atq; exustionis supplicium condemnata perhibentur.

Quid dicam de manifestis furoribus eorum, qui studia, consilia, & molitiones magno conatu omnes dirigunt, tantum ad efficiendas distractiones in Ecclesia maiores, deprauatione Sophistica explicatæ doctrinæ aut calumnijs et insectationibus bene meritorũ prætextu quocunq; quæut pestem inuectura esse in Ecclesiam nullis postea remedijs sanabilem omnium opinione citius, metui semper, ita prosticere eam nunc mihi uideor & experiri. ἀναγκὴ γὰρ ποτε ἐκ τῶν ψευδῶς ἀγαθῶν ἀληθῶς σωθῆναι κακόν.

Quid uero de interitu dicam eorum, quorum cura, uigilantia, fides et diligentia, normam ueritatis cœlestis, Dei benignitate, tutata est hactenus: prudentia uero studium et sedulitas in omni pietatis et officiorum genere erga quoscunq;, Ecclesias coniunxit atq; copulauit, præcisis aut elisis atq; auersis auxilio diuino occasionibus non necessariarum contentionum, aut hisce suppressis uel dissimulatis silentio ac tollerantia?

Hos cum uideamus eripi nobis hoc turbulento rerum statu, cogitantes illud, in quo dicitur, colligi iustos ne uideant uentura mala, non dubitemus certo impendere mutationes maximas, quarum spectatores hos suos ministros esse Deus non uult.

Quid existimamus portendere mortem optimi uiri & omni cultu reuerentiæ dignissimi Philippi Melanthonis, patris & præceptoris nostri colendissimi, ut non dicam quantum eo extincto Ecclesiæ recte sentientes, quantum bonarum artium studia, quantum omnes nos præsidium amiserimus, qui eum affectibus, cura, beneficijs uere patrem nobis: doctrinæ uero fidelissima communicatione plusquam patrem fuisse experti sumus uniuersi?

Non libenter mali aliquid ominor, sed metuo, ne ut post mortem Lutheri Germania intestinis concitata atq; concussa motibus, suo tandem inundauit sanguine, sic Philippo è medio sublato, procellis contentionum, quibus ex omni parte doctrina petitur, Ecclesia impulsa & agitata, naufragium faciat & de doctrinæ luce ac ueritate periclitetur. Certe .n. uel sola hic umbra autoritatis pristinæ terruit multos quantumuis feroces, et audaciam retudit ac repressit conatus eorundem, Multos lenitate flexit sua atq; emolliuit comitate, Multorum feruidos ac præcipites turbinum instar, impetus moderata aduersatione mox inter initia attriuit, ut protinus fathiscerrent & collaberentur: Studio uero tuendi ueras sententias sine acerba uel aduersatione uel aduersantium exagitatione et precum assiduitate ad Deũ, quæ pro Ecclesia semper excubabant, fregit & elisit sœpe callidè structas & fuco falso exquisitè adornatas molitiones.

Inter hæc mala tamen, quæ augentur & ingrauescunt, indies sparsa ueræ doctrinæ semina ubiq; paulatim radicibus actis, serpunt magis atq; magis & confirmantur.

Intuentes igitur in hæc futurarum cladium præuia signa, quæ sunt testimonia iræ diuinæ erga genus humanum propter restitutæ religionis contemptum, excusitemus animos ad precandum ardentius, certa fiducia promissæ diuinitus protectionis & conseruationis Ecclesiæ.

Consideremus magnitudinem beneficiorum, quæ Deus per hæc duo ὄργανα præcipua & ea sancta ac salutaria Lutherum scilicet & Philippum, Christiano orbi impertiuerit, cum his doctoribus superstitionis pontificiæ tenebras depulit & regni Pontificij incidit neruos ac puroris doctrinæ lucem reduxit, auxit & fouit.

Demus

Demus etiam operam, ut quam hi nobis tradiderunt doctrinam, eam tanquam sacratissimum ac inuiolabile depositum custodiamus & excolamus, nec sinamus normam quadraginta duorum annorum indefesso studio elaboratam, & comprehensam ordine concinno, & perspicuo illustratam sermone, deniq; constantia confessionis & ardentibus fidei exercitijs comprobatam, petulanter corrumpi, & oremus Filium Dei qui ascendit in altum, ut det dona hominibus, ut ipse ueritatem uindicet ac tueatur suam, & alios idoneos doctores collocet in uestigia illorum, quos ex hac statione uelut ex acie euocatos in Ecclesiam cœlestem transtulit, & hos instructos necessarijs dotibus adiuuet ac gubernet sancto suo spiritu.

Mecum ergo preces & uota uestra coniungentes dicite:

TIBI æterne Deus Pater Domini nostri Iesu Christi, conditor cœli & terræ & generis humani una cum filio tuo coæterno & Spiritu sancto, gratias ago toto pectore, quod missis & instructis his doctoribus accendisti & conseruasti in his terris lucem Euangelij tui, & huius ministerio conuocas, & comparas tibi æternam Ecclesiam: quodque doctores ipsos rexisti Spiritu tuo sancto et protexisti clementer hos nidulos, qui Ecclesiæ tuæ hospicia præbuerũt. Teq; oramus toto pectore ardentissime, ne relinquas nos orphanos, neq; destituas nos, nec lucem doctrinæ tuæ in his regionibus extingui sinas sed Spiritu sancto tuo regas, ducas, doceas et

 Confirmes

confirmes nos, quos Rectore orbatos reliquos esse uoluisti, ut sanctissimi depositi, illibatæ ueritatis tuæ simus & maneamus custodes & propagatores perpetui, nec à norma constituta uoce tua, & tuorum ministrorum opera declarata, unquam aut discedamus, aut deiici nos patiamur, ut opera nostra te benedicente seruiat utiliter Ecclesiæ tuæ, et illustret gloriam tuam et conuertat ad agnitionem tui mentes plurimorum.

SAncte Pater collige tibi inter nos et in his regionibus æternam Ecclesiam, & sanctifica nos in ueritate tua, sermo tuus est ueritas, coniunge animos nostros uinculo ueræ concordiæ, scilicet consensu de doctrina tua, & unius mediatoris Iesu Christi Filij tui agnitione & fiducia, & mutui ac ueri amoris non simulatis flammis & officijs ad tuæ doctrinæ propagationem, ut simus unũ in te, per & propter æternum filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum λόγον καὶ εἰκόνα σου, crucifixum pro nobis ac resuscitatum.

PRæsta Pater æterne, ut illorum bonorum rum fiamus hæredes, quæ ut largiaris nobis per filium tuum Iesum Christum, huius exemplo, postremo precatus est præceptor noster, ut perseueremus in uera tui agnitione, ut maneamus concordes, & fiamus participes æternæ salutis. Amen.

HAEc præfatus sum auditores carissimi, ut in hoc publico luctu, & hac tanta animorum consternatorum obitu Patris nostri mœsticia, & metu imminentium mutationum, erigamus & confirmemus animos nostros, certa spe præsentiæ diuinæ & auxilij diuini, nec frangamur conspectu horribilium distractionum, quæ malorum ingeniorum petulantia excitatæ, obruituræ uidentur omnia, nec de posteritate desperemus, nec proiectis remis ecclesiam his lacerationum & turbationum fluctibus permittamus, sed persistentes in statione faciamus singuli suo loco officium nostrum fideliter ac sedulo, & Deum inuocatum affuturum atq; opitulaturum nobis, & posteritatem aliquam conseruaturum certo statuamus.

Huius immensæ bonitatis & misericordiæ suæ, stem certam Deus nobis ostendit, in clementissima uoluntate & affectione erga Ecclesiam, studia literarum, nos uniuersos singulari, deniq; pia & summo Principe digna sollicitudine Illustrissimi Principis ac Domini D. Augusti Ducis Saxoniæ, Sacri Romani imperij Electoris etc. Domini nostri clementissimi, de qua ut Celsitudo ipsius testaretur apud nos, & consternatos hac perturbatione animos nostros ut consolaretur atq; confirmaret, misit huc cum mandatis uiros clarissimos, nobilitate, uirtute, sapientia & doctrina excellentes D. Erasmum à Konritz & D. Laurentium Lindemannum I. V. Doctorem,

Intelligit Illustrissimus Princeps Elector pro excellenti sapientia sua, quem uirum amiserimus Philippo mortuo. Academiæ, imo Ecclesijs harũ regionum uniuersis Rectorem & custodem atq; excubitorem suum, & stabilitatis præsidium, et celebritatis decus, & splendoris sui nitorem, imq;

rebus

rebus dubijs ac hærentibus aut perturbatis ducem atq; interpretem, hoc tam incerto & fluctuante rerum statu, quo nunquam minus eo carere poterat.

Nobis uero Academiæ alumnis patrem & præceptorem: Doctrinæ cœlesti patronum in his terris suum ac uindicem, Ecclesijs coniunctis uniuersæ doctrinæ professione, & doctorem ueritatis, & Christianæ pietatis humanitatis, moderationis, sanctitatis tollerantiæ & omnium piarum uirtutum exemplum ereptum esse intelligit. Quod cum dolorem ei peperit & luctum ingentem, atq; auxerit eam quam pro Ecclesia gerit sollicitudinem multorum præstantum Principum exemplo, tamen excelsi animi robore & consolationum diuinarum præsidio dolori repugnans, in huius quasi feruore, orbitati Ecclesiarum & nostræ, quid uel opis adferret, uel adhiberet consolationis cogitare non neglexit, quæ optimi Principis pietas, ut est maxima, ita nullis à nobis laudibus satis celebrari potest.

Nec est conuenientius quidquam tanto Principi, quam affici iactura tali, quam ruina posset consequi rerum præcipuarum, Ecclesiarum ac doctrinarum, & uelut ex specula multo ante prospectis tempestatibus quæ impendent, et quærere remedia, quibus hæ aut depulsæ discutiantur, aut appulsæ excipiantur ac sustineantur, ne improuiso & inopinato harum impetu uelut oppressa extinguantur, quibus nititur & consistit præcipue salus uniuersorum, uera Dei agnitio, & disciplina honesta ac legi diuinæ congruens.

Etsi itaq; optimus Princeps Elector Saxoniæ Dominus noster clementißimus hoc publico & communi luctu nostro, & hac iactura, quam amißione Patris nostri fecimus, uehementer angitur, Ecclesiæ & nostræ causa, Ipsum enim Philippum sine ulla dubitatione scimus omnes ex iniustorum & crudelium odiorum impetitionibus ad lætißimum Filij Dei & beatorum complexum & ex frementibus impetuosi maris instar turbarum commotionibus in quietißimam & luce diuina plenam cœli sedem traductum esse: tamen & de conseruatione ac propagatione doctrinarum ad posteros se optime sperare ostendit, & suo exemplo, ac mandatis dulciß imarum consolationum & clementißimarum significationum

cionum, imo affectuum paternorum plenis, nos quoq; in spem optimam erigit atq; inducat.

Pro qua tam insigni pietate & clementia Illustrißimæ celsitudini ipsius gratias quantas possumus agimus, & oramus Deum toto pectore, ut & ipsum illustrißimum Principem Electorem, & coniugem eius Illustrißimam, & liberos & συμβουλευτὰς eius ac παρασάτας in gubernatione, & consiliorum socios atq; administros negociorum pertinentium ad salutem publicam, clementer tueatur regat ac custodiat, & confirmet ipsis uires animi & corporis, ac uitam proroget, & tribuat his terris cum salutari gubernatione salutarem pacem, ut quæ Dei beneficio & protectione adhuc florem Ecclesiæ, Scholæ, Resp: doctrinæ, leges, iudicia, honesta uirtutum exercitia & cultus, consistant atq; conseruentur, & studio atq; industria eorum qui præsunt aucta & amplificata crescant.

Significamus ergo uobis optimi auditores, & luctum in quo est una nobiscum Illustrißimus Princeps noster Elector Saxoniæ, propter obitum carissimi Patris ac Præceptoris nostri, & spem eius de studijs in hac schola optimam, & uoluntatem in his conseruandis clementißimam, & uos hortamur, ut Deo una nobiscum de tali eius affectione et uoluntate gratias agatis, & pro incolumitate ipsius & liberorum ardentia uota faciatis.

De nobis pollicemur uobis eam, quam & Illustrißimus Princeps Elector Saxoniæ & fidelißimi nostri Præceptoris exemplum & nostra à nobis fides exigit, diligentiam & assiduitatem in docendo.

Dabitur à nobis opera sedulo ut diligentia, fide, operarum assiduitate, omnibus officijs humanitatis, piæ sollicitudinis cura, partam atq; collectam hæreditatem Patris nostri, cœtum scilicet huius scholæ frequentißimum, hunc ergo ut non dißipemus negligentia, aut toruitate alienemus, sed si augere non poterimus, conseruemus tamen ipsius exemplo & imitatione, recta ac uera de ipsius præscripto docendo, & operas assidue & instanter urgendo ac persequendo, & paterno complexu fouendo ac iuuando alumnos nostros, quo ad eius fieri poterit, ne degeneres & tam præstanti patre indigni habeamur.

A uobis, quos relictos post se commendauit fidei nostræ, uicissim petimus & requirimus, ut eum quem præstitistis optimo Præceptori uestro, & diuino mandato debetis obedientiæ & reuerentiæ cultum, nobis etiam præstetis, Quod ut faciatis sponte & alacriter multæ uos causæ mouere debent.

Primo autoritas mandati diuini, quo uos obligari ad obedientiam cum seuerissima grauissimarum pœnarum comminatione sæpe auditis. Nec dubitetis Deum licentiam, contumaciam, & petulantiam ulturum esse, etiam cum Magistratus aut non faciunt officium, aut impediuntur, ne exequi pœnas & effrenem ferociam compescere possint.

Secundo Illustrissimi Principis Electoris Saxoniæ uos moueat authoritas, Qui flagitat, ut his quos constituit ipse in hac Academia professores, & præfecit studijs publicis ac disciplinæ & morum gubernationi subiecti sitis ac pareatis, & fungamini officio uestro diligenter. Non tumultuemini, non turbetis aut impediatis tranquillitaten aliorum, non sceleribus & flagitijs polluatis hunc pulcherrimum cætum, in quo absq; omni dubio multi sunt electi, & sancti, qui sunt templa Spiritus sancti, & spurcitie morum ac uitæ aut ferocia & immanitate grauissime offenduntur. Promittit etiam illustrissimus Princeps Saxoniæ Elector non sese defuturum nobis authoritate sua in disciplinæ defensione, & exequutione pœnarum, si qui petulantius obedire recusauerint.

De uestra etiam salute & officio uestro atq; optimis parentibus uestris cogitate. Missi huc estis non ad luxus & helluationes, non ad ocium aut licentiam omnium cupiditatum, non ad officinam improbitatis, sed ad discendam doctrinam Ecclesiæ, & purioris philosophiæ, ad regendos ac conformandos animi affectus, et hos honesta morum gubernatione effingendos ex doctrinæ præscripto, ad exercitia uitæ innocentis & sanctæ, ueræ inuocationis, & gratiarum actionis erga Deum.

In hanc ergo ut curam & cogitationem incumbatis omni studio & contentione, exigunt à uobis parentes uestri, patria & Ecclesia cui destinamini, & cui opera uestra seruire debet, Deniq; uitæ & conditionis uestræ ratio. Nec de uita tantum flagitiose traducta, sed de iactura temporis cogitate uobis rationes Deo fore reddendas.

Tribuatis hoc pientissimis manibus optimi Præceptoris uestri, atq; huius fuisse uos non tantum ociosos auditores, sed assectas & imitatores probate effingendis & exprimendis ut doctrinæ sententijs, sic honestissimis, sanctissimis et castissimis moribus eius, et lenitate ac mansuetudine eximia et singulari ac prope diuina. Huius quotiescunq; uel uultum animo concipitis, uel oculis imaginem intuemini, cum locum aspicitis, ex quo tot paternas audiuistis commonefactiones uestri, existimate hoc eum mortuum postulare, quod præcepit uiuus, Vos mortuo etiam debere quod uiuo præstitistis.

Parcite & nostris doloribus, quos ex hoc casu conceptos sustinemus tantos, ut si tantum funderemus lachrymarum quantum aquæ uoluit albis, explere eos non possemus, Hos ne nobis exacerbetis.

Cumq; inter uos sint aliqui, quos hic non amor doctrinæ neq; discendi cura detinet, sed liberius & licentius uiuendi occasio, procul á parentum conspectu, & quorum uita, studium, & opera occupatur rebus minime ordini nostro conuenientibus, illis edicimus, ut hinc discedant procul, & talem alibi potius quam in Academia nostra uitam agant, quæ non ideo tantum nocet plurimũ, quod prouocat iram Dei, attrahit, accelerat et cumulat pœnas publicas et calamitates, turbat tranquillitatem publicam, frangit & eleuat authoritatem legum, sed etiam quod multorum animos grauiter offendit morum dissolutione, quæ laxatæ disciplinæ speciem præsefert, aliquos uero contagijs horum infectos & pollutos corrumpit ut degenerent. Quod si commorati hic tales diutius fuerint, nec uitæ & morum emendatione præbuerint spem frugis melioris, nostrum erit perficere, ut à talibus Catharmatis hic cœtus expurgetur, ne pars syncera trahatur, etsi optaremus eos memores pietatis & officij sui, diligentiores esse in studijs & regendis moribus. Modestis & honestis nec studia nostra, nec suffragia & testimonia ubicumq; fuerit opus decrint. Hæc commonefaciendi uestri causa dicere sum iussus.

Oro autem, Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum crucifixum pro nobis & resuscitatum sedentem ad dextram Patris & largientem dona hominibus, ut misereatur nostri & leniat nobis ærumnas & sollicitudines nostras, ac pericula, quæ impendent benigne amoliatur & auertat, nec sinat extingui lucem doctrinæ suæ & regat nos ut simus organa & uasa salutaria nobis & alijs.

DIXI.

ORATIO

ORATIO RECITATA A VIto VVinsshemio Artis medicæ Doctore, cum inchoaret prælectionem Dialecticæ Die 29. Aprilis Anno. 1560.

APELLES VENERIS Ἀναδυομένης, Id est, è mari primum emergentis caput, faciem & pectus, Paulo ante mortem quanta potuit diligentia quam acuratissime pinxisse, dicitur, Qui cum paulo post mortem obijsset opere adhuc imperfecto, Non inuentus est post eum in omni posteritate Pictor, qui huic operi manum admouere, & reliqui corporis membra pingere auderet. Videbor igitur ego fortasse impudens uel audax nimis, qui mihi à senatu Academiæ hoc onus imponi passus fuerim, ut post optimum & pientissimum Præceptorem Dialecticam prælegerem, eo in loco, ubi sæpe uocem ipsius Scholastici cum gemitu requirent, Et post tam excellentem artificem eidem operi manum admouere, perinde est ac si post Homerum Iliada canere, aut post Regem Dauidem Psalmos scribere uellem.

Intelligo & agnosco ipse, optimi auditores quantum & quam longe maius uiribus meis onus in me susceperim, nec mea mihi imbecillitas ignota est, commouet & perturbat me etiam locus ipse, ubi dulciss: Præceptor docuit, ubi κύκνειον ἆσμα. Vltimam & Cygneam uocem edidit, cuius mihi memoria, triste desiderium, & quasi imago occurret, quoties huc ascensurus sum. Deniq; plurima sunt, quæ me reuocare & quasi retrahere poterant. Sed quid faciam. Primum authoritas Præcepti diuini me onus hoc ut subirem mouit, Quo iubemur uoluntati diuinæ parere, suo quisq; in loco & statione, Cum igitur Deus Reuerendum Patrem et Præceptorem nostrum ex hac mortali Schola in illam suam æternam Scholam euocauerit, nostrum est, Id quod à Domino factum est obedien-

ter ferre, iuxta dictum, Humiliamini sub potenti manu Dei. Deinde sicut in acie fieri solet, ubi in cadentium loca & ordines succedunt qui superstites sunt, ne tota acies intereat, eodem modo & nostrum officium est, utcunq; sustinere ac fulcire rem inclinatam, ne tanti uiri & Ducis nostri interitus nobis totius Scholæ atq; Ecclesiarum ruinam trahat. Et si intelligimus quam ipsi longe impares simus, succedimus tamen, sicut sæpe milites Gregarij in ducum occumbentium locum, & quod possumus facimus, Et oramus Deum per Christum, ut labor noster non sit irritus in Christo, Et Speramus uos quoq; pro humanitate uestra mediocritatem uel tenuitatem nostram boni consulturos esse.

Hac inquam fiducia hoc onus mihi à senatu Academiæ imponi passus sum, quod ut sustinere possim, uos una mecum Deum comprecabimini, ut ille Spiritu sancto suo mihi clementer adsit, & huic seculi corpori uires sufficiat, ut utiliter Scholæ & uobis inseruire ualeam, Quod ut fiat faciat Dominus & Redemptor noster Iesus Christus. Amen.

Et quia, ut instituti nostri memores simus, de hoc libro quem explicandum in manus sumimus, & de Dialectica nobis hoc in loco dicendum est, primum de multiplici utilitate huius compendij pauca quædam, ut potero, dicam, quamuis dolore & recenti luctu multum impedior, sed tamen hoc silentio prætereundum non erat, ut adolescentes agnoscant quantum memoriæ huius Viri debent.

Extant ab Aristotele scripti de Dialectica libri multi, qui communi nomine & Titulo inscribuntur Organum logicon, quorum alij de aliis artis partibus agunt, sed cum in his tantum sit caliginis & tenebrarum, ut superior ætas, quæ Aristotelicæ doctrinæ pene plus quam uerbo Dei dedita fuit, se inde euoluere non posset, Accidit, ut multi huic malo mederi, & his tenebris lucem aliquam afferre conarentur. Hi uero cum linguarum & dicendi artium adminiculo destituerentur, & in Barbarico cæno sepulti, ac infantes essent, nec scribendi aut dicendi usum ullum haberent, non modo hoc non potuerunt efficere aut consequi, Aristotelicas tenebras ut illustrarent, sed & has ipsas tenebras ipsi maioribus tenebris & ambagibus inuoluerunt atq; obscurarunt, Ita accidit ut riui fontibus magis turbidi & Limosi essent.

Hoc in numero cum alij multi, (fuit enim hæc præcipua Scholarum Doctrina eius ætatis) tum et Tartaretus recensetur, eum ut præsentem Deum hæc Schola ante aduentum Philippi coluit, De quo ut uenuste ita uere lusit quidam.

Tartara quod uincis & cæcæ nubila mentis,
Non conueniens ergo libelle tenes.

Reuera enim densa caligine & tenebris plus quam tartareis inuoluti sunt illi commentarij.

Accidit igitur in Scholis tunc uersantibus, quod accidere necesse fuit, ut cum totã uitam in hac pene sola arte consumerent, ad eius cognitionem tamen nunquam peruenirent. Sed in puerilibus et spinosis altercationibus Scholasticis tempus sine fructu terebant. Cumq; proprium sit huius artis officium, has duas uirtutes ut instruat, nempe ut iudicium formet, et fontes Inuentionis ostendat, Ipsi utraq; hac uirtute penitus destituebantur, Ad iudicandum enim magis inepti erant, quam uel ulli idiotæ, inuentionis autem ne nomen quidem norant. Inanibus tantum rixis inter se certabant. Socrates ne an Plato curreret, ita misere tota illis uita labore inani sine fructu consumebatur. Vt taceam, quod ex ore reuerẽdæ memoriæ Doctoris Martini Lutheri (qui in doctrina Aristotelica, ut quisquam alius peruolutatus erat,) audiui, multa esse in Organa quæ parum utilitatis haberent, quod utrum ita sit, in præsentia non disputo, De argutijs & spinis tam Organi quam commentariorum loquor.

Iam ex his tenebris & difficultatibus, pro se quisq; perpendat, quam operosum & difficile fuerit Reuerendo Domino Præceptori artem hanc eruere, atq; in hanc lucem, in qua nunc beneficio Dei eminet, proferre, quare nisi ingratissimi sumus, quo crimine nullum grauius est, iuxta Mimographi dictum. Ingratum dicens crimen omne dixeris, fateri nos oportet, quod si nullo alio beneficio nos & Doctrinarum omnium stu-

um studia affecisset Reuerendus Pater & Præceptor, quæ quod uel unam hanc disciplinam, Dialecticam dico, ceterarum omnium ut administricem ita & gubernatricem in tam luculentum, discentibus commodum, & obuium compendiũ, atq; in unum quasi corpus nobis contulit, et hanc lucem huic regimæ ac gubernatrici disciplinæ prebuit, quæ ante in tenebris, ut dixi, plusquam Tartareis, Deum immortalem quam alta & obscura sedebat. Si nullo inquam alio beneficio nos Præceptor affecisset, tamen uel ob hoc unum beneficium ei non posset pro merito gratiam referre tota in æternum posteritas, Et quæ lux in reliquis doctrinis precipue in sacra uel secuta sit, uel similiter eluxerit, Viderunt & agnouerunt omnes pij ac boni. Hæc igitur beneficia Diuina agnoscere, hisq; gratis animis reuerenter frui debemus, ita tamen, ut etiam (quod proprium est Gratitudinis officium) Authoris tantorum beneficiorum primum Dei opt: Max: Patris Domini & Redemptoris nostri Iesu Christi, Deinde & ab eo fabrefacti Organi, Præceptoris nostri memoriam, ea qua pios & gratos discipulos decet Reuerentia, pietate, & beneuolentia, colamus.

Agnoscunt hæc multi alijs in locis uiri docti & boni, proque hoc beneficio, Quod Aristotelici pelagi fluctibus erepti sunt, Deo Gratias agunt et fruuntur hoc beneficio diuino ea qua bonos ac pios decet pietate atq; gratitudine.

Sed sunt & alij, qui ne quidem, si rumpantur, ista negare possunt, fruuntur & ipsi his donis ac beneficijs, sed armis ijsdem, quibus ab eo instructi sunt, contra authorem hostiliter utuntur, sicut ipse uiuus, subinde dicere solebat, quod olim misera dicebat Aquila, cum sagitta confixa esset, Agnosco pennas meas in uulnere meo.

His quid nos precemur aliud, quam quod homines Christianos, si modo ij esse, qui dicimur uolumus, decet, & oportet, Nempe, ut Deus eos clementer conuertat, Dona Dei ut agnoscant, & ut ijs una nobiscum animo grato, pie ac reuerenter utantur, & horum donorum fontem atq; authorem, Deum una nobiscum in sancto & pio consensu Doctrinæ colant ac consuescant in æternum, in Christo & per Christum æternum æterni Dei filium. Hoc et ego illis opto et precor a Deo per Christum Amen.

Absolui iam, optimi auditores, primam partem propositionis meæ quantum in hac animi mei perturbatione, et temporis huius angustia fieri potuit, promisi enim me dicturum de libri huius, quem prælegere debeo, utilitate, & authoris erga nos beneficijs. Nunc restat, ut & de materia libri, hoc est, de eo quod agimus, nempe de Dialectica aliquid dicamus.

Dialectica non tantum commune cæterarum disciplinarum omnium Organon est, Quæq; cæteras artes suis Methodis includit, & ut artes sint facit, sicut de ea Cicero dicit, Sed est omnino illa communis naturæ & mentis humanæ uis, De sermone & reb: rectum uerumq; iudicium, instituens, & inter se conuenientia iungens, ac pugnantia separans, qua mens humana, si sana est & sapit, ceu duce & Magistra ac gubernatrice utitur in dinoscenda de rebus omnibus ueritate, & refutanda falsitate.

Hæc iudicium informat, & ordinem instituit, quo iudicio & ordine omnes sanæ mente præditi homines, cogitationes, consilia & actiones omnes gubernant, Hæc illis in cogitando Dux, in deliberando norma est, qua in decernendo & statuendo sequantur.

Hac duce qui destituuntur, non mirum est, si monstrosas, & ab humano sensu longe abhorrentes cogitationes habent, si παραλογα, hoc est, à ratione & sensu humano deerrantia suscipiunt, mouent, & moliuntur. His aliud, qua cerebrum sanum, quod precemur, non habemus.

Causas effectrices Dialectices, ut & cæterarum disciplinarum fecerunt tres. Nempe, ingenium uel naturam, Id est, donum Dei. Deinde doctrinam seu institutionem, ea ut dux ita & imitatrix est naturæ, Ex iudicio enim optimorum & præstantiss: ingeniorum, omnes artes natæ sunt, ut uere dixerit Plato: Artes domi nostræ natas esse, In ingenijs uero Deus hanc lucem accendit & ea excitat, etsi ut uerbi sui, ita & multarum artium humano generi Deum ipsum doctorem ac monstratorem fuisse credo. Quod & Aratus confessus est, cuius uersus subijcio.

Plurima mortales fugiunt incognita mentes,
Quæ Deus æternus nondum patefecit in arte.
Hoc duce mox eadem manifesta in luce patebunt,
Quæ nunc sub densa caligine mersa premuntur.
Hic genus humanum, magno complexus amore,
Vndiq; conspicuum sese dedit atq; per omnes.
Naturæ partes ostendit plurima signa.

Sed hunc ordinem tamen Deus instituit & conseruatum uult, nempe ut ingenia institutione ac doctrina excolantur et excitentur, hoc cum fit, tunc ipse dat incrementum. Accedit deinde quæ inter causas effectrices tertio loco recensetur, usus et exercitatio, ea si non ἄλογος τριβή est, Sed à doctrina regitur, in agendo rectitudinem efficit. Ingenium itaq; à Deo petendum est, & id quod contigit, doctrina, cultu, studio ac meditatione excolendum, & exercitatione confirmandum. Ad communem uitæ institutionem ista pertinent. Nos qui in schola uersamur, & discentium studijs inseruimus, ad ea quæ artis & doctrinæ sunt in presentia nos conferemus.

Ars ipsa autem, meo iudicio propius aut melius describi non potest, quam apud Ciceronem in Bruto descripta est, Quem totum locum, quia ualde illustris est ponere hic libuit. Sunt autem hæc uerba. Sic enim Brute existimo iuris Ciuilis magnum usum & apud Sceuolam & apud multos fuisse, Artem in hoc uno, quod nunquam effecisset ipsius iuris scientia, nisi eam præterea didicisset artem, quæ doceret rem uniuersam tribuere in partes, atentem explicare definiendo, obscuram explanare interpretando, Ambiguam primum uidere, deinde destinguere, postremo habere regulam, qua uera & falsa iudicarentur, & quibus propositis quæ essent, quæ non essent consequentia. Hic enim attulit hanc artem omnium artium maximam, quasi lucem, ad ea quæ confuse ab alijs aut respondebantur aut agebantur, Dialecticam mihi uideris dicere, inquit, Recte inquam intelligis, Hactenus Cicero qui quantum huic arti tribuat uidetis, erunt autem nobis ista inter prelegendum sæpe iteranda ac inculcanda, quare his nunc non immorabor, ad illud tempus ea reseruabimus.

De ordine quo hæc ars traditur pauca quædam adijciam, ut facilius discentes εἶδος et formam quandam illius animo atq; cogitatione concipere possint.

In parte aliqua huius artis discenda puero mihi Dauentriæ obtigit Præceptor uir Doctiss: & opt: Senex Bartholomeus Colonien̄sis. Ille hoc unice studebat, ut ad similitudinem Grammatices, quæ nobis iam notior erat, Dialecticæ tractationem conformaret, Et ex duabus his artibus, quantum fieri posset, quasi unam efficeret, Quod utrum recte fieri debeat, aut possit, in præsentia non disputabo, nos tunc, ut pueri, cum quasi ad nota deduceremur, adplaudebamus. Sed utar tamen exemplo & similitudine petita ex Grammatica, ut enim primæ ætati, quæ ad Grammaticam discendam adhibetur, proponuntur primum Elementa primo singulæ ac simplices literæ, earum figuræ & potestates prius, mox et ordo & cognationes pueris inculcantur. Ex literis deinde docentur nectere Syllabas, Ex Syllabis dictiones, & porro ex his orationem, Quæ si pura, perspicua et certa est, ambiguitate omni exclusa, & sensum mentis quam proxime atq; exactissime exprimit, tunc ea, quod ad Grammaticam rationem attinet, optima esse iudicatur, et huc usq; procedit Grammatica, Vtrum mens in iudicando uel pronunciando de re ipsa à ueritate aut ratione recta deerrauerit, non curat, sed tradit sermonem à se iam fabrefactum sorori suæ Dialecticæ examinandum, retexendum & reformandū. Illa eodem modo sermonem à Grammatica acceptum, ut censuræ suæ ceu Lijdio lapidi recte subijcere possit, rursum in minutas partes, hoc est, in simplices uoces resoluit, Ab his exemplo sororis Grammaticæ incipiens, earum naturam, uim, potestatem, cognationes, discrimina, atq; dissidia quam exactissime inquirit atq; excutit, Id fit per prædicabilia & prædicamenta, quæ ostendunt ordinem & potestatem simplicium uocum. Predicamenta diuersos omnium rerum et uocum ordines tradunt, Prædicabilia eiusdem ordinis seu familiæ uoces rursum distribuunt, et ostendunt quæ latius, quæ minus late patent, h. e. quæ plura quæ pauciora significāt, quæq; inter se necessario, quæ nō necessaria lege cohærent. Iam uoces simplices atq; adeo res per illas significatas, ita certo ordine distributas et examinatas rursum alteri censuræ subijcit Dialectica. Eius cēsuræ gubernatrix est definitio. Illa nouam lucem his addit, et si opus est ad

sorore

sororem suam diuisionem eas transsmittit, ubi sit quam latius patent distribuuntur, atq; hac quasi προπαρασκευάσικ præpartas uoces deducit Dialectica ad Methodum, priusquam ex his sermonem connectat. Methodus autem campus & quasi palæstra est, in qua definitiones & diuisiones exercentur, Per metas & spacia huius campi ordine certo ducuntur uoces, ut num quid adhuc in his inexcussum sit adpareat, Et hæc nobis primi libri materies ac quasi farrago erit. Ab hac simplicium uocum censura et explicatione progressa Dialectica, tunc primum inter se connectere uocabula docet, Et extruit propositiones, in quibus partium connexio et genus prædicationis, ut dicitur, accurate obseruandum est. Nam partes in affirmatiuis cognatas esse oportet, neq; satis est id scire, sed & quo gradu cogitationis inter se contingant, excutiendum est: In negatiuis contra inter se dissidere aut pugnare. Non enim idem est si dicam, Asinus non est equus, & uis contra leges non est iustitia, Hæc pugnant, illa dissident: Ita singulæ orationes seu propositiones per se primum excutiuntur, mox inter se & conferuntur, finguntur ac refinguntur, quæ nostræ operæ erunt in secunda parte huius libri, Sed nondum integræ orationis corpus habemus, uerum exquisitam tantum partium censuram atq; explicationem ex quibus ut in συνθέσει fit, primum maiora membra, tandem integrum corpus extruitur: Progreditur igitur Dialectica ab his membris minoribus ordine ad maiora, & quasi ab exiguis fontibus aperit & diffundit sese in amplissimum flumen, Congregat inter se & quasi ad colloquium conuocat plures propositiones, sed non ita ut illæ temere concurrant, is enim ebriorum aut mente decrarantium sermo est, uerum certo loco, numero, ordine & lege eas conuenire oportet, ut inde extruatur legitima argumentatio, cuius quæ species, quæ uis, quæq; leges sint, suo loco nempe in tertia parte huius libri explicandum ueniet, Et tunc nobis altera pars Dialectices, nempe, εαquæ: κριτικὴ uocatur absoluta erit.

Sed restat adhuc illa pars, quæ argumentorum materiam, uim & neruos suppeditat, nempe εὑρετικὴ siue inuentrix, ea fontes ostendit, ex quibus materia argumentorum hauritur, atq; hæc iucundissima est consideratio, uidere ex qua parte propositionum sumpta sit probatio, & qua lege, gradu, & ordine cum ea parte cognata sit in affirmatiuis, &

contra

contra quomodo dissideat uel pugnet in negatiuis. Hic nobis sæpe reflectandum erit ad fontes, hoc est, ad ἀνάλυσιν, & ea quæ libro primo, Secundo, & tertio tradita sunt. Est uero inueniendi ratio & locorum doctrina exacte explicata in quarto libro, cum ea tractatione tamen non pigebit conferre Topica Ciceronis, & eruditissimum librum Rodolphi Agricolæ de inuentione Dialectica. In fine autem huius operis falsorum argumentorum refutatio docetur, ea est quasi exercitatio quædam, qua ostenditur, qui sit præcedentium Præceptorum usus, in iudicando pariter & inueniendo.

Habetis iam, optimi auditores, hac breui commemoratione expressam, et quasi oculis subiectam totius huius utilissimæ artis, atq; omnium cæterarum artium parentis exiguam quandam formam εἰδέαν siue eidyllion, quales formæ paruæ ædificiorum proponi solent, ex quibus tamẽ utcunq; iudicari potest, qualis ipsa futura sit structura. Iam uestrum erit officium, si studijs uestris, imo si saluti consultum cupitis, hanc artem primum ut ametis, eius præcepta & leges serio atq; exacte discatis, & eã ducem ac gubernatricem uobis non tantum in studijs uestris et in omni genere doctrinæ deligatis, commune enim hæc omnium disciplinarum ὄργανον est, sed ut & in cogitationibus, consilijs, & actionibus omnibus, per totam uitam sit hæc uobis regula & canon iudicandi, pronunciandi, statuendi & decernendi de rebus omnibus. Nulla enim magistra & gubernatrix melior ut studiorum doctrinæ ita sensuum et cogitationum omnium. Deinde Deum una mecum toto pectore orate, ut ille clementer mihi docenti & uobis discentibus adsit, ut labor meus & uester sit honori Deo, & Christo Redemptori nostro, Salutaris Ecclesiæ, Reipublicæ, quam plurimis hominibus & nobis ipsis. Quod ut fiat, faciat Dominus noster Iesus Christus. Amen

DIXI.

PRAEFATIO IN LECTIONEM Chronicorum pronunciata à Caſparo Peucero Artis Medicæ Doctore.



AEPE AVDISTIS OPTIMI AVDITORES, in ſcriptore hiſtorico quocunq; requiri σύνεσιν πολιτικὴν καὶ δύναμιν ἑρμηνευτικὴν, quæ duo multa complectuntur, ut iudicio ſit præditus exacto, ut prudenti ac ſolerti obſeruatione conſideret, ac diſcernat momenta, occaſiones, cauſas, & uniuerſim περιϛάσεις omnes rerum & negociorum, ut loca peruestigarit rerum geſtarum, atq; explorata habeat tempora, ut perſonarum naturas, ingenia, & mores æſtimare, et ex ijs alia, quæ expreſſa non ſunt, argutè ac dextrè coniectari norit, regaturq; non affectuum impetu, ſed recti, conſtantisq; iudicij norma, ac deligat inſignia & neceſſaria, prætereat obſcura, quæ ut aliqua notatione celebrentur, digna non ſunt. Deinde ut cognitas res atq; animo conceptas exponere poſſit ſignificanter, perſpicuè, diſertè, oratione rebus accommodata. Polybius his addit ut totam omnium temporum hiſtoriam animo comprehenſam & uelut ante oculos, & in conſpectu habeat, ut fiat hiſtoria σωματοειδὴς, integro perfectoq; corpori ſimilis. Eos, qui partes tantum ex hiſtorijs decerpunt, ait ſimiles eſſe ὀνειρώττουσιν id eſt, ſomniantibus, nec magis ſtatuere & pronunciare de rebus poſſe, quam de elegantia & pulchritudine, uel perfectione corporis alicuius pronunciant, qui diſcerptas ac diſperſas partes ſeorſim contemplantur, fabrica integri corporis, & compoſitione nunquam uiſa.

His omnibus ſcitis excelluiſſe patrem & præceptorem noſtrum cariſſimum Philippum Melanthonem piæ & ſanctæ memoriæ, cui utinam eo uſq; Deus uitam prorogaſſet, donec inchoatam à mundi exordio Chronicorum ſeriem, et ad Caroli magni res geſtas perductam fœliciter, pertexuiſſet. Res loquitur ſcriptorum idem teſtimonio conuincente, qui conferatur

conferatur ei copia & uarietate doctrinæ, cognitione propè ex acta hiſtoriæ omnium temporum, exquiſiti udicij rectitudine & grauitate, orationis diſertæ atq; explicatæ facilitate, uix reperiri, ut taceam de cæteris uirtutibus, quibus eminuit, & nobis præluxit.

De Platone Ariſtotelem dixiſſe memorant.

Nulla ferent talem ſecla futura uirum.

Hoc uerius de noſtro dicere Præceptore poſſumus, cuius utinam cogitationes & ſcripta, quæ ardentis pietatis, diuinæ lucis ac ſapientiæ, ſolidæ eruditionis, moderationis eximiæ, ſummæ perſpicuitatis, & conſolationum efficaciſſimarum plena eſſe, tot annis noſtra edocti experientia didicimus: Vtinam illa inquam, legere nobis plura diutius & frui uerè cygneæ uocis uiuo ac gratiſſimo concentu licuiſſet. Platoni ſunt μακαριοι οἱ ἐξωϑήκοοι τῶν ἐκ τοῦ σωφρονοῦντος σωματος ἰόντων λόγων. Quanto nos fuimus beatiores, dum compellantem nos & docentem uoce præceptoris noſtri Filium Dei, audire conceſſum fuit. Sed emigrauit ex hac fragili & caduca uita ille in æternam, poſtquam certamen decertauit bonum, curſum ſuum peregit, fidem ſeruauit, ornandus coronâ iuſticiæ, quæ illi in cœlo repoſita eſt. Et ſingulari conſilio, ac miſericordia Deus hunc miniſtrum & σύνεργον in terris ſuum crudelium odiorum impetitionibus, & iniuſtarum calumniarum iniquiſſimis inſectationibus, & commotarum turbarum quaſi fluctibus, deniq; ingraueſcentium in dies ſingulos operarum, laborum, ærumnarum ac ſollicitudinum oneri, quæ omnia incredibili, ac inimitabili tolerantia ſuſtinuit, his ergo ſubtractum DEVS tranſtulit in cœleſtem ſedem, Vbi in ſinu Abrahæ, in lætiſſimo complexu filij DEI Domini noſtri Ieſu Chriſti, quem in hac uita ardenter coluit, conſtanter confeſſus eſt, cuius nomen, gloriam, merita, ac beneficia ſtudio omni ac contentione illuſtrauit, ad quem, hoc ipſo duce preces ipſius & uota præſtante, ſpe, fiducia, ac lætitia plenus, hoc carcere corporis ſolutus, commigrauit. In huius (inquam) ubi complexu ſine omni dubio, à curarum omnium impeditione liber, pro perpeſſis ærumnis æterna fruitur lætitia, pro exhauſtis odijs perfun-

ditur

ditur flagrantißimo sensu amoris diuini: pro Sophistarum intricatis præstigijs, quibus extricandis & refutandis occupatus fuit, colloquitur cum FILIO DEI, & beatis de admirando consilio diuinitatis patefacto in mißione FILII, & de admirando opificio naturæ, quæ colloquia toties et tanto cum desiderio expetiuit, deniq; ubi pro conuiciorum, et calumniarum debadchationibus, quæ nobis obstrepunt, audit dulcißimum ἀκρόαμα decantante illud choro Ecclesiæ cœlestis, de quo prædixit Daniel Propheta. Qui docti fuerint fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad iusticiam erudiunt multos quasi stellæ in perpetua æternitate, quanquam & inter nos bonos omnes improbitatem & uirulentiam calumniarum, quibus hactenus immerito laceratum uidimus, nunc magis detestaturos, Et si quæ ex harum aspersione nomini eius adhæserunt maculæ, eas gratam memoriam illustrium meritorum protrituram atq; obruituram confido. χρηστὸς γὰρ πονηροῖς ὀ τηρώσκεται λόγοις. Neq; ipsos credo hostes tam immanes futuros, ut quem patientißimè omnia tolerantem ferre in uiuis non potuerunt, ei beatam quietem post mortem inuideant. Sed ad nostra redeo. Amisit ergo Academia Rectorem suum, de quo sapientum iudicia fuerunt, ibi futuram fuisse scholam, ubicunq; is substitisset, sicut de Scipione iudicatum scribitur, Imperium ibi fuisse futurum, ubi Scipio aut natus esset, aut rerum suarum collocasset sedem. Et amasit eum tali tempore, quo exposita in iurijs plurimis uelut nauis in medijs tempestatum fluctibus, calumniarum procellis exagitatur & concutitur.

Etsi autem nos remiges reliqui nec proiectis remis stationem deseremus nostram, nec deposita gubernationis cura Academiam, quantum ad nos, conuelli sinemus ac disijci illorum inuasionibus, à quibus petitur, tamen nostræ nobis imbecillitatis conscij, quam simus huic nostro Rectori dißimiles, quam impares tantæ moli gubernationis intelligimus. Distribuimus operas morte interruptas, ut quod humeris ipsius incubuit onus, quodq; Atlanteo robore sustinuit solus, subeamus ac præstemus multi, collatis ac coniunctis operis et consilijs ad fulciendam scholam, ne quæ ipsi innixa, suffultu ipsius constitit, ac floruit, ipso amoto fatiscat ac corruat, Sed uix magno conatu, & non nisi DEO iuuante assequemur, quod solus ipse nauit atq; effecit. Non deerimus tamen fide, diligentia atq;

atq; imploratione auxilij diuini, uel gloriæ Dei ac ueritati, uel communi utilitati, uel officio nostro, uel saluti ac studijs uestris. Idcirco ne in hac perturbatione publica desponderetis animos, & de studijs desperaretis, maturè operas ab ipso relictas persequi atq; urgere decreuimus, daturi operam, ut fide, diligentia, atq; aßiduitate sarciamus, quæ ingenijs usu rerum, copia & uarietate doctrinæ consequi nequimus. Confidimus DEVM uel uotis ipsius ac precibus postremis ac perpetuis, quibus scholam & Ecclesiam hanc DEO commendauit, tributurum, ut labores nostri ipso benedicente ac dirigente ornent gloriam Christi, utiliter seruiant Ecclesiæ, & prosint plurimis.

Ceßit autem ex ea partitione decreto & mandato senatus Academiæ mihi pars operarum penè difficillima, cura scilicet pertexendi seriem historiarum in Chronicis, quæ reliqua est, cuius rei cum magnitudinem mecum perpendo, & meo me pede metiens ad illa uires meas comparo atq; examino, à quibus uel annalium notatorem instructum esse oportere supra ostendi, & uos omnes præceptorem & Patrem meum carißimum paratißimum fuiße scitis, uideo me onus multo maius uiribus meis subijsse. Accedunt ad difficultatem pericula, quæ tanto obijcientur maiora, quanto tractatio nostra tempora proprius attigerit, ut nihil dicam de rerum obscuritate, & scriptorum negligentia, qua factum, ut de præcipuis & maximis rebus penè nihil nisi coniecturis explicari poßit. Etsi igitur maluissem non suscipere operam hanc, quàm ceptam postea cum meo dedecore & damno scholæ publico de manibus deponere: Tamen ne uiderer defugiendo aut recusando partem publicorum laborum meæ uoluisse consulere tranquillitati & ignauiæ, experiri decreui, quid in hoc genere poßim præstare, & confido, uos omnes quibus fidem meam & studium probare cupio, hoc inseruiendi uestris commodis qualecunq; studium meum in optimam partem candidè interpretaturos esse.

Inchoatam esse meministis tertiam partem Chronicorum à mentione translati à Græcis imperij ad Reges Francorum, cui mutationi occasionem præbuit, seu ignauia Græcorũ Principum, seu Exarchorũ Tyrannis, seu uicinorum regum imperij sedem appetentium machinationes, seu

ut

ut potius reor, ambitio & auaritia Romanorum Pontificum, inhiantium ijs, quæ de imperio Romano post eiectos Gotthos nondum à Longobardis occupata erant. Superbiam fuisse, & antecellendi, ac dominandi cupiditatem infinitam in Pontificibus Romanis, inde usq; ab ijs temporibus, quibus eorum authoritas aliqua esse cepit, Imperatoribus ad fidem Christi conuersis, et horum ambitione et astu ex lacerationibus ac ruinis partim Ecclesiarū Orientalium, partim Imperij Romani raptam potentiam, paulatim creuisse magis magisq;, ipsis primo Principatum inter Episcopos, & in uniuersas orbis Christiani Ecclesias dominium sibi arrogantibus, mox & imperia ac regna sua potentiæ subijcientibus, & sese ex ruderibus lacerati ac distracti imperij instruentibus atq; armantibus, historiæ docent. Cum enim in Nicena Synodo decretum esset, ut Alexandrinus Ecclesiarum in Aphrica, Antiochenus Asiaticarum, Romanus Occidentalium inspector esset, atq; gubernator, & adiunctis his esset Hierosolymitanus, qui palestinæ præsideret, Tandem uero constantini decreto acceßisset ad hos et Byzantinus: His ergo ita constitutis mox Romanus turbata æqualitate rem eo deduxit, ut nihil quod à cæteris deliberatum esset & sancitum, ratum habere uellet, nisi ab ipso esset præcipue approbatum, & paulo post motis ab Arrio certaminibus de Filio DEI, & orientalibus Ecclesijs hac contentione conuulsis, ac distractis, hanc authoritatem ex illis dißidijs auxit atq; confirmauit, donec tandem Mahometico furore Orientalibus oppreßis, ac penè extinctis, Bizantino soli de principatu litem mouere cepit, quam assentiente & suffragante imperatore Phoca obtinuit. Ita incitati Romani Episcopi ruentium in Asia atq; Aphrica Ecclesiarum interitu, & fiducia elati authoritatis acquisitæ speq; huius confirmandæ et potentiæ amplificandæ, de transferendo ad sese dominio in omnes orbis Christiani Ecclesias, & hoc in suos usus conuertendo, exemplo ueteris formæ Romani imperij cogitare, idq; ut consequerentur, nihil non moliri atq; experiri ceperunt. Adeptum tandem dominium & raptam cum hoc potestatem imperandi cæteris, & quæuis pro arbitrio statuendi sanciendiq;, contulerunt eò, ut ministerium Euangelij in Monarchiam politicam distinctam ab Imperatoris potentia commutarent, & sapienter ac pie constitutum, distributumq; conuenienter, & ad conseruationem puritatis doctrinæ & gubernatio-

gubernationem disciplinæ seuerioris directum pulcherrimum ordinem primæ Ecclesiæ, huic suæ Monarchiæ stabiliendæ, tuendæq; accommodarent. Constituerunt ergo quasi Monarcham orbis Christiani Romanum pontificem, frustra reclamantibus, & refragantibus cæteris Episcopis, & Romanum iniustè hoc ius, & hanc potestatem usurpare contendentibus. Subiecerunt autem huic Ecclesias aliarum gentium orbis Christiani, distributas uelut in ἐπαρχίας seu prouincias, & religione Iuris iurandi eidem obligarunt ad fidem & obedientiam. Proximi fuerunt pontifici uocati Patriarchæ, qui ut hodie apud Turcos Bellerbeij, uices gesserunt absentis pontificis extra Europam in reliquis orbis terrarum partibus, Asia atq; Europa.

Aphricanus Alexandriæ Lybicas Ecclesias et Aegyptias procurauit, uocatus οἰκουμενικὸς κριτὴς. Antiochenus Asiaticas, quantum scilicet de his reliquum fuit sub Mahometici regni iugo. Bizantinus Ionicas, & reliquas Asiæ littoralis. Hierosolymitanus Phœnicias & Palestineas, eodem modo, quo Europeas is, qui se supremum pontificem constituebat, sicut apud Turcas prouincias in Europa administrat Bellerbeus Europeus, in Asia Asiaticus, in Africa Aegyptius, quem post destructum Sultanorum regnum Selymus collocauit in urbe Memphi. In harum partium prouincias collocarunt μητροπόλιτας, quos Archiepiscopos uocarunt, ut Romani olim proconsules, aut prouinciarum duces, uel comites, Persæ Satapras, Turcæ Bassas. Quorum si plures requireret prouinciæ amplitudo, unum eorum ἔξαρχον esse & primatem, alium quempiam legati munere fungi uoluerunt, qui ceu quæstor adesset proconsuli in prouincia. Metropolitis suberant Episcopi, ut hodie in regno Turcico Basis parens Sanjachi. Horum διοικήσεις ad certas prouinciarum regiones astricta et particularium distincta tractuum limitibus comprehendebat impositos his χωρεπισκόπους, Presbyteros, Archidiaconos, Diaconos, ὑποδιακόνους, Αναγνώστας, ψαλτάς, ἐπορκιστάς, θυρώρους, ὑπηρέτας & totam reliquam ἱερατικὴν τάξιν, constitutam ad hoc, ut administraret τὰς παροικίας. Sed has ex primæ Ecclesiæ constitutione appellationes solas retinuerunt, officijs ipsis & ministerijs in abusum conuersis.

Omnibus his addiderunt tandem numerosa agmina monachorum & sacrificulorum, quasi exercitus quosdam comparatos ad custodiendas, inq; officio continendas prouincias, & ad eas leges in singulos exequendas, quæ autoritate pontificum latæ erant. Summo pontifici senatum Cardinalium certa officiorum distinctione, Episcopis collegia Canonicorum adiunxerunt, ex quibus legerentur successores. Et hanc ut tuerentur maiestatem, terruerunt Principes fulmine anathematis, & munierunt sese opibus ac potentia, pertractis ad se, aut fraude uel prætextu quocunq; occupatis prouincijs. Deniq; eo progressi sunt audaciæ et impudentiæ, ut fingere non sint ueriti, concessionibus imperatorum sese usurpare potestatem, quam exercent, contra omnium historiarũ annotata, & diuina constitutione pontificum maiestatem complecti regna mundi & potestatem habere eripiendi imperia Monarchis, & tradendi eadem alijs pro arbitrio, contra expressas & euidentes prohibitiones diuinas.

Hinc natæ disputationes & de potestate pontificum, non solum in Ecclesias, sed & imperia mundi, & de iure dominij politici, quod prætextu fictarum donationum iactitant, quæ & totum commouerunt orbem Christianum, et toties turbatam Germaniam concusserunt atq; afflixerunt, commissis inter se Principibus, ut frangi potentiam, & labefactari tandem authoritatem necesse fuerit. Testantur id historiæ belli Henricorum, tristis seruitus imperatorum Sueuicorum, Ludouici Bauarici certamina. Contentiones de primatu pepererunt stultæ & ambitiosæ κακοζηλίαι potentiæ politicæ, quod uel errore et ignoratione discriminis inter ministerium Euangelicum & potestatem politicam, uel ambitiosa malicia finxerunt oportere talem in Ecclesia Monarcham esse, qualis esset in imperio, & eundem oportere esse instructum potentia atq; authoritate tali, qualis illius esset, & eodem consistere hunc loco oportere, quo ille, & quocunq; is transtulisset imperij sedem, eodem alterius sedem hac ipsa translatione trahi atq; collocari. Victor Papa primus circa annum nati saluatoris ducentesimum Ecclesijs Orientalibus nouas ferre leges, & has si recusarent, minitari anathemata ausus fuit. Huic acriter restitit Irenæus Episcopus Lugdunensis auditor Polycarpi, qui Iohannis Euangelistæ discipulus fuerat. Postea Synodus Nicena authoritate & dignitatibus exæquauit Alexandrinum, Antiochenum & Romanum, & singulis certarum Ecclesiarum instectionem commendauit.

Hæc æqualitas conseruata est usq; ad tempora Mauricij & Phocæ imperatorũ, quibus quidam Iohannes Patriarcha Constantinopolitanus ex uita monastica simulatæ humilitatis cõmendatione erectus ad Episcopatũ, noncontentus suo loco et munere, se οἰκουμενικὸν dici & cæteris superior esse uoluit. Huic cũ se opponerent Pelagius & Gregorius Magnus, assensit tamen Mauricius Imperator, præstigijs eius persuasus, & οἰκουμενικὸν eum declarauit. Cui renunciationi cum reclamarent Pelagius II. & Gregorius Magnus, Phocas, qui Mauricium interfecit, metuens defectionem Italiæ ab Imperatoribus Græcis, titulum hunc Gregorio detulit, etsi is eum non agnouit. Eundem titulum eodem tempore simili Iuris prætextu sibi uendicauit Episcopus Rauennas, eo quod grassantibus in Italia Gothis, & Roma à Gothis capta ac uastata, Valentinianus Iunior Imperij sedem fecerat Rauennam, quam & missi à Græcis Imperatoribus Exarchi ad Italiæ defensionem contra Gothos et Longobardos muniuerunt. Sed hoc oppresso mox idem certamen post Gregorij mortem sub Bonifacio III. Circa annum Christi 607. recruduit & uehementius exarsit, inter Romanum & Constantinopolitanum, cum quidem causam cognoscente et disceptante Phoca decretum factum est, ut titulum οἰκουμενικὸν usurparet Romanus Episcopus.

Hoc freti decreto Pontifices Romani paulatim augere magis magisq; potentiam suam ceperunt, usi occasionibus, quas irruptiones Gothicæ ac Longobardicæ, ac Italiæ dilaceratiões pepererunt. Nam cum missus in Italiam ab Imperatore Constantinopolitano Theodoricus Gothorum Rex ad expellendum Odoacrum non auderet inuadere Romam, quam Odoacer tenebat, sed subsisteret Rauennæ, & Roma subinde dominos mutaret, alijs alios excutientibus, Romani pontifices hac occasione paulatim sibi adiunxerunt et deuinxerunt ciuiũ animos, pertæsos tam crebrarum & periculosarum mutationum, quos fractos calamitatibus respicere ad ipsos, & ex ipsorũ consilijs pendere animaduertebant. Ita factum ut cum authoritas Pontificum inualuisset, post deuictos, domi-

tos, & oppressos ope Longobardorum Gotthos, Romani consilio & hortatu ac ductu Pontificum neq; Exarchis parerent, neq; Longobardos admitterent, sed utrisq; uterentur ut socijs. Sed cum uexarentur ab utrisq;, & Longobardi exarchis tandem eiectis occuparent quæ ipsi possederant, & appeterent regnum Italiæ ac dominium urbis Romæ, tandem pontifices metuentes potentiam & minas ac machinationes Longobardorum, & cupientes, quæ his occasionibus sua fecissent, non munire tantum, sed pluribus adiectis augere, attraxerunt Francos contra Longobardos. Primo ergo Pipinus rogatu pontificis Hadriani & Romanorum ingressus in Italiam pacem fecit inter pontificem et Astulphum Regem Longobardorum, quem coegit Romanis cedere de ijs, quæ Exarchis eripuerat, quod hoc potissimum consilio factum existimo, ut essent munitiores atq; confirmatiores aduersus imminentem & infestam ipsis Longobardorum potentiam.

Postea cum Desiderius ultimus Longobardorum Rex non desineret bello lacessere & premere Romanos, Carolus Magnus idem primo fecit quod pater, & Vrbem Romam ingressus patriciorum numero à pontifice Stephano ascriptus est, Sed cum uiolatis fœderibus, repararet bellum Desiderius nec quiesceret, Reuersus Carolus secundo, hunc acie uictum & captum abduxit. Eoq; Leodium relegato in exilium, in quo & mortuus est, exarchatum pontifici restituit. Tum primum pontifices, qui res Ecclesiasticas antè procurarunt solas ceperunt cum Ecclesiæ administratione aliquam politicæ gubernationis partem coniungere. Sed Iuris in urbem Romam & imperium Romanum nec habuerunt quidquam nec sibi uendicauerunt, nec uel transtulerunt, uel transferre in Carolum potuerunt, cum Græcorum imperatorum legati molitionibus pontificum aduersarentur, & conarentur prohibere, ne in Italiam Francica auxilia pertraherentur.

Verum cum Græcus imperator Constantinus agente id matre Irena, ex transfactione Carolo cessisset Imperium Occidentis, & Nicephorus Imperator post Irenen sublatam eadem pacta atq; conuenta renouasset, tum demum Carolus diademate ornatus à pontifice factus est dominus

nus, & Vrbis Romæ, & Italiæ, & titulum imperatoris usurpauit, non ex Pontificis seu renunciatione, seu diadematis impositione, sed iure belli & transactionis. Quos bello defenderat ac seruarat rogatu Pontificis, ab ijs sponte a deditione ac subiectione susceptus dominium eorum obtinuit iure belli, idq; confirmauit concessio ac consensus Imperatoris Græci, qui cum antea uere dominus fuisset, Iuri suo renunciauit, idq; liberè in Carolum contulit, cum quidem retrahere ad sese amissa & recuperare desperaret, quod se imparem potentiæ Francicæ esse intelligeret. Hæc cum ex historijs manifesta sint, commenticia esse, & falsa quæ Pontificiæ potestati excusandæ uel pingendæ potius prætexuntur, non est dubium.

Quæ de Constantini donatione finguntur, impudentiora sunt, quam ut refutationem mereantur, cum multos post Constantinum Imperatores, & horum duces atq; exarchos Romam tenuisse constet, nec dominij Pontificum ulla uspiam fiat mentio.

Primatum inter Episcopos tuentur sola Phocæ Imperatoris concessione, quem & Nicena Synodus expresso decreto prohibuit, & multi ex Episcopis Romanis ante Bonifacium recusarunt, quod fas non esse faterentur, ut se quisquam Ecclesiarum caput & principem constitueret. Nec Græcæ Ecclesiæ unquam agnouerunt Episcopum Romanum tanquam οἰκουμενικὸν, nisi illis 58. annis, quo Galli occupato Byzantio Græcum imperium gubernarunt à Comnenis sublatis usq; ad Michaelem Palæologum.

Commenta de donationibus Pipini, Caroli Magni, Ludouici pij, deq; collato in Pontifices imperio urbis Romæ & Italiæ, similiter historiarum consensu redarguuntur. Constat enim Lotharium Ludouici pij filium nouos in urbe Magistratus creasse, cum immunitatibus à patre & auo concessis ciues abuterentur, & rexerunt ac constituerunt Italiam successores Lotharij ex eadem familia, & post eos Ottones & alij. Imo cum Pontifices noui crearentur, constat electionem non fuisse ratam, nisi eam Imperator approbasset.

Quod

Quod uero ex constitutione Ottonis tertij obijcitur, non fieri imperatores, nisi consecratos & diademate imperatorio ornatos à Pontifice, nihil patrocinatur commenticiæ potestati Pontificum. Nam Ottonis constitutio ius & potestatem eligendi omnem designatis ab ipso electoribus attribuit, qui non tantum Regem Germaniæ, ut Pontificij assentatores falso fingunt, sed Imperatorem Romanorum eligunt. Pontificis consecratio nihil aliud est, nisi electi renunciatio, & testificatio, quod legitimè & secundum leges electus sit.

Non tradit Pontifex imperium electo imperatori, sed hoc ei legitimè traditum esse testatur ab ijs, penes quos est electio, Sicut Episcopus Remensis non tradit regnum regi Galliæ, quod accipit nunc iure successionis, sed iusta & legitima eum successione regnum capessere sua consecratione profitetur. Neq; electio est pontificis, sed ut dixi, renunciatio, qua electio publicè declaratur orbi terrarum, & eam quidem habent nullo Iure diuino, sed humano prorsus, id est, primorum in Occidente Imperatorum beneficio & concessione, qui uel religiosa moti de primatu, quem iactarunt Pontifices, opinione, uel reuerentiæ urbis, quæ sedes fuisset Imperij tot annos, uel eo moti, quod ad defensionem urbis, & Italiæ assertionem contra Longobardos optima fide & opinione de ipsis inuitati essent, à Romano Episcopo potius quam alio hanc fieri renunciationem uoluerunt. Hæc monui paucis, ut in historijs talia considerentur contra Pontificum figmenta, inter quæ grauissimum est, et in Deum contumeliosissimum, quod Clementina Pastoralis & constitutio Bonifacij expresse affirmat, Pontificem mandato diuino armatum esse ea potestate, qua possit transferre imperiũ pro arbitrio ad quoscunq;, quo figmento Pontifex Rhodolphum Sueuiæ ducem, cuius cadauer Mersburgi sepultum est, impulit ad bellum mouendum Henrico IIII. Ex cuius sorore natus erat, misso ei diademate cum tali inscriptione.

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodolpho.

Sed hæc prolixius persequi desinam, & inter prælegendum de singulis dicendum erit accuratius.

Oro au-

Oro autem Deum æternum patrem Domini nostri IESV CHRISTI, ut in hac orbitate clementer respiciat nos, & tueatur ac foueat hos cœtus Scholasticos, & adiuuet ac dirigat conatus nostros in explicatione necessariæ doctrinæ, ut opera nostra feruiat utiliter gloriæ ipsius Ecclesiæ & Reipublicæ, per & propter IESVM CHRISTVM filium eius Dominum nostrum crucifixum pro nobis ac resuscitatum.

AMEN.

ORATIO PETRI VINCENTII Vratislauiensis habita Vitebergæ, cum post obitum Reuerendi uiri D. Philippi Melanthonis ex Silesia reuersus rursum publicas lectiones inchoaret.

REDEVNTI MIHI LONGO INteruallo tanquam hospiti ad intermissas aliquandiu publicarum lectionum operas, breuiter quædam ab hoc loco & tristi tempore nostro minimè aliena præfari necesse est, ut & officium meum Academiæ ostendam, & studium uoluntatemq; meam omnibus uobis probem:

Ἐν παρ᾽ ἐσθλὸν πήματα σὺν
Δύο δαίονται βροτοῖς
Ἀθανάτοι, Verè rectéq; dixit de inæquali & momentanea malorum euentuum cum bonis uicißitudine, ac rerum humanarum inconstantia, & uetus & sapiens Poeta Pindarus. Quod me, ut hoc tempore cogitarem, cum multa communis uitæ tristia exempla, tum paucorum dierum animo meo per acerba nuper monuit experientia. Eram ante Mensem, ut scitis, in patriam profectus, partim rerum necessariarũ caussa, partim (dicam enim ingenuè) ut ueterum & dulcißimorum amicorum complexu, quorum, præsertim in ætate ingrauescente, iucunda consuetudo non immeritò pars quædam fœlicitatis existimatur, nonnihil recreatus, ad pristinas in Academia operas faciendas redirem alacrior. Sed ô rem miseram & omnium lacrymis & oratione deplorandam. Hanc paruam læti temporis usuram, quasi è uestigio consecuta acerbissimi casus tristißima fama excepit, et tanquam inopinata calamitas sic me oppreßit, ut in animo meo ne sensum quidem ullum iucundæ in patria peregrinationis reliquum fecerit. Vix enim limites patriæ urbis egressus eram, cum tristißimæ literæ de periculosa febri Reuerendi & clarißimi uiri Præceptoris nostri primum ad me perferuntur scriptæ à clarißimo uiro D. Casparo Peucero artis Medicæ Doctore, Rectore nunc Academiæ, genero illius & compatre meo charißimo. Hæ cum quasi πρόδρομοι mali grauioris, quod impendebat, non leuiter animum meum uerberassent, quod uitæ senis confecti & ætate & laboribus, uehementer timerem, Ecce eodem die summa celeritate quasi altera tempestas, fama de obitu, secuta est, Quæ ut improuisum & atrox fulmen adeò deiecit & obstupefecit omnes sensus meos, ut ab eo die ne nunc quidem me colligere potuerim. Hærebam initio dubius animi, non solum quod esse plerumq; soleret fama. Tam ficti prauiq; tenax quam nuncia ueri, ut ait Virgilius noster, Verum etiam ac multò magis, quia credimus difficulter & tardè, nec sine metu tamen, quæ credita lædunt, secundum alium Poetam, Festinabam igitur quanta poteram itinerum contentione, ut si, quod ardentibus uotis optabam, ea fama mendax fuisset, concepto apud animum grauißimo metu quam primum liberarer. Sed proh dolor, quo propius acceßi, hoc uaniorem non iam famam, sed meam dubitationem deprehendi. Tum quæ animi consternatio, qui pauor & ægritudo, qui luctus & stupor me inuaserit, quam miserabilis huius urbis aspectus, quam tristis introitus, quæ lacrymæ meæ fuerint, quantum doloris & mœsticiæ, nunc etiam animo meo circumferam, equidem fateor me dissimulare studuisse, ne de summa Reipublicæ, cuius incolumitatem Deo curæ deinceps fore, & optamus & confidere debemus, desperare cuiquam uiderer, Sed tamen opprimi doloris magnitudine imbecillitatem animi mei sentio. Nec iam illius beati patris & Præceptoris nostri uicem doleo, cui post tot annorum labores, ærumnas, pericula, ualetudinis imbecillitatem, addo etiam Sycophantarum in postremo quasi actu uitæ rabiosas insectationes, quæ in hac hominum peruersitate sunt magnorum uirorum, & bene de Ecclesia & Republica meritorum usitata præmia, fœlix & tranquilla ad portum melioris uitæ, ubi læto Dei patris & Filij ipsius Domini nostri IESV CHRISTI & Spiritus sancti conspectu, ac sanctorum omnium optata consuetudine fruitur, de hoc calamitoso seculo emigratio potius gratulanda est, Sed partim nostra

orbitate

orbitate, qui ab illo fidelißimo Præceptore tanquam altero parente docti atq; educati, & saluberrimo doctrinæ, pietatis, & optimarum artium quasi pabulo enutriti sumus, partim uerò Reipublicæ & Ecclesiæ cum primis iactura, quam fecit illa amisso hoc Duce, & impendentium malorum, quæ obitus talium gubernatorum sequi solere multa uetustatis exempla docent, luctuosa cogitatione non possum non commoueri.

Amisimus enim nostrum & Ecclesiæ huius temporis decus & præsidium unicum, Studiorum doctrinæ gubernatorem cum nullis aut certè paucißimis retro seculis conferendum, παραστάτην Lutheri fidelißimum & sapientißimum, & post illius obitum in Ecclesijs, quæ Augustanam confeßionem amplectuntur, publici consilij Ducem placidum & salutarem, inuicta animi magnitudine uirtute & patientia, quæ in eo singulare Spiritus sancti donum erat, superantem, non solum aduersariorum Pontificiorum insultus & rabiem, Sed etiam perfidorum discipulorum transfugæ Staphyli & similium Sycophanticas flagellationes.

Amisimus proh dolor fœlicißimum in Ecclesia atq; constantißimum interpretem, propagatorem & defensorem doctrinæ Christi, cuius lucem ministerio Lutheri his mundi postremis temporibus Deus immensa bonitate rursum accenderat. Sophistices profligatorem ferè unicum & ueritatis partim Monachorum hypocrisi, partim Antinomorum confusis clamoribus oppressæ uindicem exercitatißimum & acerrimum, & explicatorem maxime perspicuum. In Scholis uerò linguarum & omnium optimarum disciplinarum atq; artium excitatorem & illustratorem. In priuato autem conuictu patronum, Patrem, Præceptorem, Collegam, & amicum beneficum, pium, fidelem, mansuetum, hospitalem, hilarem tum sui ipsius, tum omnium quæ in potestate habebat, liberalißimum communicatorem, complectentem quotidie aßiduis & sanctißimis precibus ac gemitibus ad Deum, sparsam toto terrarum orbe sanctam Ecclesiam, & paterna beneuolentia & omnibus humanitatis officijs ad extremum usq; huius caducæ & fragilis uitæ Spiritum nos omnes ac singulos prosequentem. Hæc tot & tanta bona unius morte nobis erepta esse merito dolemus, & quidem tali tempore, quo illis carere

carere omnium minimè posse uidemur, labascentibus paßim doctrinæ studijs & crescente indies illiteratorum & Sophistarum petulantia atq; rabie, & impendentibus tristißimis certaminibus, quæ confusiones Imperiorum & Reipub: Christianæ deformem uastitatem atq; ruinam attractura esse, dubitari non potest.

Hæc uerè sunt non iam, ut ait Pindarus, ἓν παρ' ἐσθλὸν δύο πήματα, sed potius Ilias & immensa quædam colluuies malorum, quæ cum uideantur ferè ineuitabilia, ut non modo sapienter & quemadmodum monet idem Poeta κόσμῳ φέρειν, & in ijsdem, ut bonos decet, τὰ καλὰ ἔξω τρέπειν, Sed etiam piè & ad modum Deo placentem, ut par est facere Christiana pectora, sustinere poßimus, reprimamus iam quantum possumus ingentem animi nostri dolorem atq; mœsticiam, & consolationibus diuinitus propositis erecti, non de remedijs impendentium calamitatum quæ uix ulla apparent, Sed qualicunq; leuatione cogitemus. Nec eò solum, quod sapiens & antiquißimus Scriptor Homerus dixit:

οὐ τίς πρῆξις πέλεται κρυεροῖο γόοιο
ὡς γὰρ ἀπεκλώσαντο θεοὶ δειλοῖσι βροτοῖσι
ζώειν ἀχνυμένους.

Sed multo magis admoniti de clementißima uoluntate Dei ex doctrina Ecclesiæ, quæ, cum concedat Christianis luctum mediocrem eorum caussa qui ex consortio uitæ huius ad cœlestem consuetudinem euocati sunt, uetat tamen mœrore contabescere, tanquam τοὺς μὴ ἔχοντας ἐλπίδα, ut inquit uox Apostolica, colligamus deinceps nos, Ac primum omnium memores simus gratitudinis, quæ Deo debetur, quod reuerendum uirum Præceptorem carißimum nostrum tanta ingenij præstantia, eruditionis & doctrinæ copia, iudicij rectitudine, eloquentiæ suauitate, pietate erga Deum, & erga homines beneficentia & comitate & infinitis alijs uirtutibus præclare instructum atq; ornatum his postremis temporibus clementer excitauerit, in hac tetra opinionum confusione ad instaurandam cum reuerendo Patre Martino Luthero doctrinæ in Ecclesia puritatem, & ex magna Scribentium uarietate & dißimilitudine,

certum,

certum, illustre & explicatum doctrinæ de Deo corpus contexendum, & ad illustranda studia linguarum & artium optimarum, quæ sunt tanquam fideles pedissequæ ad explicatiõem doctrinæ de Deo necessariæ. De hoc summo & peculiari beneficio quod Deus huic mundi extremæ ætati per hunc uirum tandem concessit, uel potius benignè largitus est, de collecto inquam, atq; composito corpore doctrinæ, utcunq; hoc allatrent ingrati Sycophantæ, atq; interdum suggillent etiam quidam Scioli, non aliter atq; bonos pannos lacerant mordaces Catellæ, ut de doctrinis alicubi Plato eleganter dixit, si qua erit pia & erudita posteritas, quemadmodum fore confidimus & optamus, ea & benignè iudicatura & tota mente & coniunctis nobiscum iudicijs & uoluntatibus Deo gratias sedulo actura est.

Deinde retineamus grata mente memoriam ingentium beneficiorum, quibus hic uir Pater & Præceptor carissimus noster annos quadraginta duos, non solum Ecclesiam & Scholam huius oppidi, Sed etiam totam Germaniam patriam nostram, atq; adeo omnes Europæ Ecclesias Deo dante, indefessis laboribus, uigilijs, lucubrationibus, docendo, scribendoq; adfecit, iuuit, prouexit, erudijt, consolatus est, monuit & confirmauit.

Hanc uero ipsam gratitudinem, ut dixi, ad Deum autorem referamus, nec aliter statuamus, quam ipsius in exhaustæ misericordiæ & erga genus humanum & Ecclesiam postremi temporis immensæ benignitatis præstantissima dona fuisse, hæc duo illustria & salutaria organa, Lutherum atq; Philippum, quorum ministerio fideli instauraretur lux & puritas doctrinæ in Ecclesia Monachorum & Pontificum Sophistica & Tyrannide obscuratæ, & tantum non extinctæ, Excuscitemus nos etiam illorum exemplo, ut cum ingenij donis, quæ aliter alijs à Deo, ut ipsius propria esse agnoscantur, distribui humano generi solent, illorum pares nequaquam esse possimus, Siquidem ut ait Homerus noster.

οὕτως οὐ πάντεσσι θεοὶ χαρίεντα δίδοσι

ἀνδράσι

ἀνδράσιν οὔτε φυὴν οὔτ' ἀρ φρένας οὔτ' ἀγορητύν.

Diligentiæ tamen & assiduitatis imitatione uel saltem uoluntate & mediocri conatu uera, recta, utilia docendi & discendi, quam proximè fieri potest, nos ad illorum industriam accedere, & pulcherrimum depositum patrum nostrorum fideliter custodire, & integrum atq; incorruptum ad posteritatem transmittere studuisse, omnibus appareat. Qua in re cum eorum Præceptorum, qui sunt superstites, & secundum communem omnium Præceptorem piè sanctæq; memoriæ Philippum Melanthonem de meis ac uestris, auditores, atq; adeò de totius Ecclesiæ studijs iam pridem benè meriti sunt atq; merentur, Sollicitudo, diligentia, suscepti labores, uigilantia & assiduitas, sint in conspectu, æquum est & iustum eos qui discendi caussa huc accesserint, sedulitate, modestia uitæ, æquanimitate μετὰ ἐπιεικείας fouere præceptorum conatus & honestissimam uoluntatem, & eorum in docendo omnibus officijs excitare industriam, nec morosè & cum Dei contumelia requirere eam perfectionem & copiam doctrinæ, quæ in Philippo fuit Dei donum peculiare. Cuius quemadmodum diuinam ingenij uim & eruditionis multiplicem uarietatem, delectum & suauitatem rerum tradendarum & explicandarum, fœlicia deniq; dona præstantissimarum uirtutum, gratiam & authoritatem optare impunè cuiuis licet, ita ab ijs, in quorum Deus ea non uoluit potestate esse constituta, sed ut Paulus inquit, ad mensuram certam distribuit atq; concessit, ad amussim paria exigere, & asternari docentium suo loco mediocritatem, ea uero barbarica et in Deũ, ut dixi, contumeliosa morositas futura esset, à qua bonos omnes, doctrinæ, pietatis, uirtutis, communium studiorum & humanitatis amantes & quod æquissimum est, acerbissimi luctus nostri socios, confidimus ut par est, auribus oratione atq; animis alienos esse, debere quidem omnes, quibus sana mens est, certo scimus. Deniq; in hoc sedulitatis proposito etiam diuinis promissionibus confirmati erigamus nos ad spem, neq; infœlicis neq; pœnitendi prouentus laborum nostrorum, quos diriget DEVS, & gubernabit procul dubio etiam in hac imbecillitate ingeniorum nostrorum, & prouehet ad nominis & Euangelij sui gloriam, & multorum hominum ac nostram ipsos

ipsorum salutem, quemadmodum confidere nos iubent hæc diuina dicta quæ sæpe repeti auditis, Ex ore Infantium & lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, ut destruas inimicum & ultorem, Et ad totam Ecclesiã pertinet consolatio dicta Paulo: Virtus mea in infirmitate perficitur. Propagabit igitur Deus ueram doctrinam & conseruabit Ecclesiam etiam repuerascentem in sua quasi senectute, Sicut dulcissime in Esaia dicitur, Qui portamini in utero meo, usq; ad senectam & usq; ad caniciem ego baiulabo, ego feci & ego feram, ego portabo & saluabo. Excitabit etiam ex nostro cœtu, & alijs pia & erudita ingenia destructura inimicum & ultorem, hoc est contradictura Diabolo & organis eius Apostatis, Sycophantis, & calumniatoribus, Et è nostra ac totius uisibilis Ecclesiæ societate extruet templum sanctum suum, nec sinet labores nostros cum inuocatione & fiducia unigeniti filij sui Domini nostri Iesu Christi sedentis ad dextram æterni Patris, & hominibus dona dantis susceptos, irritos aut inanes esse in Domino.

Hæc breuiter uolui præfari meo loco, cum post reuersionem è patria meam, & à luctuoso reuerendi & dulcissimi nostri Præceptoris obitu, qui etiam hoc nomine, quod in absentiam meam incidit, acerbiorem mihi attulit animi dolorem, ad usitatas prælectionis publicæ operas rediturus essem, ut ostenderem me & societate luctus cum Ecclesiæ & Schola, & uoluntate faciendi meum officium loco meo, & spe atq; firmissima fiducia Dei inter nos præsentiæ & efficaciæ, uobiscum coniunctum esse. Palam enim profiteor me agnoscere hoc singulare Dei beneficium, pro quo etiam toto pectore quotidie ei gratias ago, agamq; dum uiuam, quod me huius Ecclesiæ & Scholæ, in qua scio doctrinam Euangelij incorruptè, integrè, rectè, purè & explicatè tradi, iuxta consensum Propheticum & Apostolicum, Symbola & Augustanam confessionem Imperatori Carolo exhibitam, Anno 30. quod, inquam, eius me cœtus ciuem esse uoluerit, meq; nominatim alienum esse & abhorrere sine ulla dissimulatione profiteor, ab Idolatria cœtus Pontificij, à fanaticis opinionibus Antinomorum & Enthusiastarum, á Serueti & similium eius in filium Dei blasphemia, & ab offendente Deum horribiliter ac conscientiæ dicam grandem impingente Apostasia Staphyli,

phyli & ab affectata Flacij ζυγομαχία καὶ διχοστασία, quæq; secutæ sunt has subinde & continuo obtrectationibus & maledicentia, deniq; ab omnibus qui dissensiones non necessarias, odia, lites, tumultus & bella iniusta concitant, & immani furore gerunt cum adflicta Dei Ecclesia. Oro autem filium Dei æterni Patris Domini nostri Iesu Christi, ut inter fatales ruinas Imperiorum & pericula postremi temporis, quæ impendent maxima atq; difficilima & certamina dira Sycophantarum, Ecclesiam suam & hanc Scholam clementer respiciat, consoletur in hac orbitate, seruet, defendat & gubernet, memor dubio procul certæ & dulcissimæ promissionis suæ, cum dixit: Non relinquam uos Orphanos, & eius quæ in Psalmo expressa est his uerbis, Psal. 90. Cum ipso sum in tribulatione, exaudiam eum, & liberabo eum & ostendam illi salutare meum. Hac uera & firmissima consolatione freti & confirmati in fide & fide intuente filium Dei mediatorem & liberatorem dominum Iesum Christum, cum Dauide clamamus, Psal. 65. Exaudi nos Deus Saluator noster propter admirandam iusticiam tuam, ô spes omnium finium terræ & in mari à longe. Qui confirmas montes in uirtute tua, armatus potentia, Qui compescis fremitum Maris, & sonum fluctuum eius & tumultum populorum.

Huic igitur uero omnipotenti æterno soli Triumphanti & benefico Deo labores & studia nostra committentes, deinceps ad intermissas prælectionum in Schola publicarum operas redituri sumus, & cras iuuante Deo orationis Murenianæ expositionem continuaturi, Die uero proximo Iouis, Homeri octauum Iliados librum interpretabor. Et quoniam Ethices lectio absenti mihi decreta est, breui etiam in ea re, de qua tamen cum Præceptoribus & Collegis antea colloqui uolo, obedientiam erga Illustrissimum Principem Electorem Saxoniæ nutricum Ecclesiarum & Scholarum Dominum nostrum clementissimum, ac Senatum Academiæ, & uoluntatem iuuandi communia studia pro mearum uirium tenuitate uobis omnibus probare studebo.

DIXI.

PIO LECTORI. S. D.
Paulus Crellius D.

QVOD in Symbolo profitemur, Credo esse Ecclesiam sanctam Catholicam, id toto pectore adfirmo, & amplector uniuersam doctrinã traditam in scriptis Propheticis & Apostolicis, & in Symbolis, & Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixũ pro nobis & resuscitatum oro, ut me Spiritu suo sancto gubernet. Cum autem sciam voce Euangelij colligi æternam Ecclesiam & non aliter, seruio in ministerio Euangelij in Templo & in Schola iuxta vocationem, & oro Filium Dei, ut ipse sit efficax docentium voce, sicut scriptum est: Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Nec profecto deterreor à docendo stolidis conuitijs fanaticorum hominum, qui dicunt nos esse doctores Literæ, Se uero doctores Spiritus. Etsi scimus sola litera, seu sola uoce docentis, sine Spiritu sancto non reddi uitam hominibus, tamen ministerium externum & cogitationem Literæ necessariam esse manifestum est, quia scriptum est: Fides ex auditu est. Ac magnum decus esse statuo, nos dici doctores Literæ, ut Paulus inquit: Ego plantaui, Apollo rigauit, Deus incrementum dedit. Si Enthusiastici illi sine ministerio, sine voce & cogitatione doctrinæ uolunt nasci Ecclesiam prorsus πτυφωμένοι sunt. Hinc est illa audacia fingendi monstrosa deliria: Omnia bona & mala fiunt necessario. Noua obedientia non est necessaria. Renati placent Deo etiam ruentes in scelera contra conscientiam. Lex diuina moralis non est immota sapientia in Deo. Hæc paradoxa sciunt grata esse suo theatro, quod uult laxari disciplinam, ac reipsa delent Literam, quæ est vox Dei scripta per Prophetas & Apostolos. Sciamus autem uelle Deum, ut sonet in Ecclesia doctrina per Prophetas & Apostolos scripta, & studia amemus, & Deo gratias agamus, quod se immensa bonitate patefecit, non aspernemur Filium Dei Legatum proferentem Euangelium ex sinu æterni Patris, & simul petamus, ut ipse sit efficax sua voce, & confirmet quod in nobis operatus est.

Cum igitur ad prælectionem delectus sim, Deo iuuante cras hora septima, in auditorio ueteris Collegij inchoabo repetitionem Locorum Theologicorum, quæ est uelut κατήχησις, in qua prodest iunioribus quasi summam doctrinæ proponi. Anno 1560. Die 25. Martij, quo die Filius Dei Dominus noster Iesus Christus ante annos 1526. in cruce pro nobis uictima factus est, qui est יהוה לרקבן, Et scribitur eo die creatos esse Adam & Euam ante annos 5522.

ORATIO

ORATIO RECITATA A PAVlo Crellio Sacræ Theologiæ Doctore & Professore in Academia Vuitebergensi, die 26. Martij, cum inchoaret publicè prælectionem Locorum Communium D. Philippi Melanthonis. Anno 1560.

NISI TV DOMINE PRAECEdas nos, ne educas nos de loco isto, inquit Moses ingressurus difficilimum populi ducendi & docendi curriculum. Fatetur uir Sanctißimus & sapientißimus, nullam sine Deo seu magnam seu paruam functionem fœlicem esse aut salutarem. Ac res cogit idem fateri omnes qui aliqua in uocatione seruiunt ac præsunt. Tanta est enim negociorum in omni uita uarietas, tanta periculorum & curarum moles ac magnitudo, tanta hominum infirmitas, tantæ Diabolorum insidiæ & machinationes, ut uniuersa sapientia, industria & diligentia humana, impar sit & insufficiens immenso tantarum rerum oneri, imo accidunt in singulis functionibus quæ ne quidem prospici possunt. Ac plane fit quod Ieremias inquit: Scio Domine non est hominis uia eius, nec uiri dirigere gressus suos.

Quare & ego ingressurus iam curriculum docendi, ad quod immensa bonitate diuina, per Illustrißimum Principem Electorem Augustum Saxoniæ Ducem etc. dominum nostrum clementißimũ, consentientibus inclytæ Academiæ & Præceptorum ac Patrum omni reuerentiæ cultum dignißimorum suffragijs uocatus sum, Præmetior animo meo militiæ & uocationis huius amplitudinem, quam scio ac fateor solis uiribus humanis sustineri ac regi non posse. Ac unus omnium maxime mihi

tenuißimi profectus mei in studio amplißimo & difficilimo & imbecillitatis multiplicis conscius, uehementer hanc stationem meam in quam infans & balbutiens adhuc collocor, pertimesco, Ac multis de causis magnopere doleo hoc me tempore produci in publicum, quo Sarepta hæc nostra fidißima doctrina cœlestis custos, & artium omnium honestarum μυρμήκειον & Gymnasium ornatißimum periclitatur horribiliter, cum propter domesticos hostes multiplices, homines plus quam infernali rabie furentes & ardentes, tum propter externos eius oppugnatores, potentia, malicia, uersutia, instructißimos, Et præsidijs atq; adminiculis ijs omnibus, quibus crudelitatem & Tyrannidem acuunt ac muniunt, terribiles. Quos omnes domesticos & externos, armat & incitat hostis alius multo terribilior, Diabolus tanquam Leo rugiens, non solum uniuersam Ecclesiam, Sed hanc inprimis Scholam & Academiam circumiens, quærens sicubi deuorare ac deglutire eam data occasione poßit. Et rugiens nunc eo horribilius, & apparatu ac conatu maiore quam unquam antea grassans, quia imminentem ac propediem affuturum iudicij nouißimi diem præsentit ac reformidat. Tali inquam tempore & inter pericula tanta Ecclesiæ uniuersæ, Scholæ tamen nostræ præcipua, infantulum me ac balbutientem produci in stationem difficilimam plurimas ob causas uehementer excrucior. Ac fatum Academiæ nostræ tali tempore acerbißimum ea qua debeo affectione deploro ac doleo. Quod scilicet breuißimo annorum interuallo quo mihi uiuere hic contigit, tot uiros præclarißimos, de Schola hac, omnibusq; nobis & Ecclesia uniuersa optime meritos, Lutherum, Crucigerum, Pomeranum, Ionam, Forsterum, Milichium & alios amisimus. Quorum sepulchra ac tumulos quoties aspicio, cogito magno & inenarrabili cum dolore meo, quanta non solum decora, sed bona incomparabilia Schola hæc, & Academia nostra amiserit. Et quanquam immensa Dei bonitate Præceptores ac Patres, pietate, doctrina, sapientia & uirtute excellenti præstantes adhuc superstites habemus, & hac me consolatione utcunq; erigo, quod horum authoritate ac præsidio Scholæ nostræ communitas ac decus fouetur & custoditur, Tamen senes Præceptores partim ætate, partim laboribus, curis, doloribus & ærumnis ingentibus pene confectos quoties intueor, non possum

possum non ingemiscere, Et Paulo post secutura pericula nostra & Scholæ nostræ uehementer metuere. Nam conferens utrorumq; superstitum ac demortuorum Præceptorum ora augusta ac ueneranda cum uilitate & imbecillitate mea & aliorum, qui uel in loca demortuorum sufficimur, uel uiuentibus tanquam παραστάται in Collegio augustissimo adiungimur, plane obstupesco & penè extinguor dolore.

Prodeo igitur tali tempore non fiducia aliqua doctrinæ uel sapientiæ exultans, quæ in periculis tantis Scholæ & Academiæ huic præsidio esse poßit, Sed consternatione & dolore ingenti trepidans, curricuti instituti difficultatem & ærumnas præmeditor.

Fuit autem obtemperandum mihi, & Deo uocanti, & mandato Illustrißimi Principis, & authoritati Patrum ac Præceptorum charißimorum, quorum apud me reuerentia non minus quam periculorum respectus aut rerum quarumcunq; consideratio semper ualuit, Ac Deo iuuante in omni uita mea ualebit, In qua si quid usquam erit, quod uel placebit uel proderit alijs, id ita mihi erit gratum, si ipsis placuisse ac gratum fuisse, eorumq; auspicijs profuisse alijs intellexero. Cumq; antea etiam uocatus ad ministerium Euangelij non minus difficile ac laboriosum reipsa compererim, uerißimum esse quod inquit filius Dei, Sine me nihil potestis facere, Magis me erigo hac consolatione, quod & sedens ad dexteram æterni Patris, filius Dei subinde dona dat hominibus, Apostolos, Prophetas, Pastores & Doctores, Et quod horum ministerijs adest, & in hac militia inuocantibus se non solum Spiritus sui sancti auxilium benignißime promittit, Sed peti etiam præcipit, sicut scriptum est, Quanto magis Pater cœlestis dabit Spiritum sanctum petentibus, Petite & accipietis. Hoc ingens bonum nisi peculiariter ministerio Euangelij additum esset, certum est tantam eius amplitudinem esse, imò immensitatem, ut sustineri nullis uiribus humanis poßit.

Vt igitur regi & iuuari se petiuerunt Prophetæ, Apostoli, Pastores

stores & Doctores omnes quorum labores Ecclesijs unquam salutares fuerunt, Ita & ego nunc æternum Patrem domini nostri Iesu Christi, una cum Filio suo domino nostro Iesu Christo conditore & custode Ecclesiæ uniuersæ, & ministerij Euangelici Rectore, uotis & gemitibus ardentißimis oro, ut sua me bonitate uocatum ad militiam ministerij amplißimam, & fiducia sui auxilij unica iam productum, Spiritu suo sancto regat & gubernet, & uas misericordiæ & organum salutare faciat, ut & doceam & faciam ipsi grata, & studijs discentium & uniuersæ Ecclesiæ ac Scholæ huic profutura. Te fili Dei domine Iesu Christe, crucifixe pro nobis & resuscitate Emanuel dilectißime, qui propter te & propter gloriam tuam ex ore infantium & lactentium regnum æternum & inuictum tibi præparas, ut spiritum superbißimum inimicum & ultorem diabolum destruas, oro gemitibus non simulatis, quorum tu inspector ac Iudex es, Fac cum seruo tuo secundum misericordiam tuam & iustificationes tuas doce me, rege & confirma cor & animam meam, spiritu sancto tuo, ne in furores Epicureos aut Fanaticos ruam, guberna studia & cursum uitæ meæ uniuersum, ut tuæ gloriæ & multorum saluti seruiat, adesto uere infanti ac balbutienti mihi, & propter tuam gloriam Diabolos odio tui furentes, & in genere humano horribiles nominis tui blasphemias spargentes à me & ab uniuersa Ecclesia tua depelle, & furores eorum omnes destrue, Et uoce Euangelij tui Ecclesiam æternam, semper tibi inter nos collige. Propter te domine Iesu Christe & propter gloriam tuam facito hæc, Sicut promisisti inquiens, Propter me, propter me faciam, ut non blasphemer, & gloriam meam non dabo alteri.

Hæc uota primum omnium fieri à me hoc tempore ac loco iustißimum est, Quæ ut uos quoq; qui nunc conuenistis ardenter mecum faciatis quanto possum studio ac contentione uos obtestor.

Nunc de lectione quæ Præceptorum consilio iniuncta ac commendata mihi est, breuiter quædam iuniores monebo.

Vt in omni studiorum genere utilißimum est assuefieri discentes ad certam aliquam & explicatam doctrinæ formam, quæ quasi σωματοποικ-

τοποικθεῖσα perpetuo animis eorum infixa sit & obuersetur, & inicia progreßiones ac metas doctrinarum monstret, quam intuentes uelut ædificij idæam ac formam ordinatam, mox membra ac partes omnes agnoscant & animo complectantur, Ita & in doctrinæ cœlestis propagatione & perceptione docentibus & discentibus summopere necessarium est talem aliquam simplicem certam & perspicuam doctrinæ methodum tenere ac discere, quam intuentes omnium doctrinæ cœlestis partium ortus, progreßiones, ac metas mox perspiciant, & sit in dijudicatione controuersiarum uelut norma ac lapis Lydius, ad quem sententiæ & opiniones omnes dirigantur & examinentur.

Hæc res quantum utilitatis contineat, & quam dulce discendi & docendi ἐφόδιον ac compendium sit, eloquentia nulla exponi potest. Semper igitur in Ecclesia tales aliqui libri eruditi seruati ac propagati sunt, quibus doctrinæ corpus integrum traditum est, & membra doctrinarum, quæ in scriptis Propheticis & Apostolicis traduntur, ordine distributa, ac perspicuo & simplici orationis filo exposita sunt. Et quidem Symbola initio hoc consilio condita sunt, ut summa doctrinæ animis includi poßit. Postea alij longiores summas tanquam Methodos scripserunt, ut olim Methodius Lyciæ Episcopus, & postea Damascenus, Lombardus & alij. Talis est & locorum Theologicorum liber in hac Academia, à Reuerendo & clarißimo uiro Præceptore nostro dilectißimo Philippo conscriptus, omnium articulorum fidei ac confeßionis nostræ doctrinam exponens ordine ac perspicuitate tanta, & genere orationis adeo proprio & simplici, ut uix aliud scriptum humanum, hoc in genere conferri ei, aut cum fructu maiore proponi aut disci poßit. Huius libri lectionem Præceptores reuerendi & Collegium Theologicum amplißimum mihi hoc tempore iniunxerunt, ut in hac tristißima opinionum confusione, crescente indies Sycophantarum & Diabolorum rabie, animi discentium non solum ad corpus doctrinæ integrum cognoscendum inuitentur, Sed etiam ad eam doctrinæ formam assuefiant, quæ reuera est ὑγιαινόντων λόγων ὑποτύπωσις, Et Dei beneficio annos amplius triginta magno cum fructu & emolumento piorum in hac Academia & Ecclesia sonuit, Ac

sine

sine ulla dubitatione consensus est dulcißimus cum Catholicæ Ecclesiæ Dei doctrina expressa in scriptis Propheticis, Apostolicis & Symbolis.

Vtrumq; autem scitis præcipi diuinitus, &, ut dictum est, utilißimum esse uestris studijs, Nam cum inquit Paulus, Oportere Episcopum uerbum Dei ὀρθοτομεῖν, hoc ipsum postulat ac præcipit, ut corpus doctrinæ integrum intelligat ac comprehensum animo circumferat, is qui docere alios debebit, recte distribuat partes, & singulas apte proponat, & dextre ad eas res accommodet, de quibus uox diuina loquitur. Nec solum docentibus hoc præcipitur, Sed omnibus qui castra Ecclesiæ comitantur, & in his cura aliqua salutis suæ adficiuntur. Cum .n. doctrinæ cognitione uelut armis Ecclesiæ proprijs et unicis pugnandum sit aduersus diabolos, & sophistas à Diabolis agitatos, infœliciter ac magno cum periculo suo pugnæ ac dimicationis momentum expectabit aut subibit is, qui fundamentum doctrinæ cœlestis integrum non agnouit aut didicit. Non potest autem agnosci fundamentum, nisi immensitas illa doctrinarum ordine tradatur & percipiatur. Præterea & præceptum Petri uniuersale est, & tam ad docentes quam discentes pertinet. Parati estote ad reddendam rationem eius quæ in nobis est spei omni poscenti uos. Manifesta est igitur & neceßitas & utilitas cognoscendi doctrinæ cœlestis summam ac methodum ordinatam. Nam quas reddet fidei ac spei suæ rationes is qui initia progressus ac metas doctrinæ non didicit, Et in lectione seu cogitatione scriptorum diuinorum tanquam in ignoto nemore ignarus uiæ locorumq; oberrat.

De altero itidem membro expressum & manifestum est Pauli præceptum, ὑποτύπωσιν ἔχε ὑγιαινόντων λόγων, ὧν παρ' ἐμοῦ ἤκουσας. Id uero præceptum quam necessarium sit ac fructuosum discentibus, nulla humana oratione exponi potest. Amißa enim sana & & probata doctrinæ forma lucem uniuersam scriptorum Propheticorum & Apostolicorum amitti certißimum est. Cogitemus saltem retro, quantæ in Ecclesia tenebræ, quantæ superstitiones fuerint ac cumulatæ sint, regnante barbarica illa & prodigiosa Scholasticorum & Monachorum Sophistica, Ac quæ paulo post barbaries ceu Postiliminio in Ecclesiam reditura sit consideremus, si regnum in Ecclesia obtinebunt φλυαροὶ illi καὶ βδελυροὶ Scholæ nostræ flagellatores. Ne igitur lucem doctrinæ cœlestis barbaries inerudita & Sycophantica nobis obnubilet aut totam eripiat, Singuli quanto possumus studio formam docendi sanam, probatam & eruditam retinere et infigere animis nostris & propagare ad posteros conemur.

Agnoscamus etiam immensa bonitate diuina, hanc illustrem sanæ doctrinæ formam comprehensam in locis Theologicis, huic postremæ senectæ Ecclesiæ donatam esse, ut retineri lux doctrinæ tanto facilius posset. Nam quod Chrysostomus in enarratione præcepti Paulini quod citauimus, inquit, ἐνετυπωσαμὴν εἰκόνα σοι τῆς ἀρετῆς, καὶ τῶν θεῷ δοκούντων ἁπάντων, ὥσπερ τίνα κάνονα καὶ ἀρχέτυπον ὑγιεινῶν λόγων εἰς τὴν σὴν ψυχὴν ἐγκεκολαφώς. Id & de his nostris locis Philippeis uerißime dici potest. Profecto enim norma sunt & archetypus omnium, quæ de Deo, aut de pietate dicere homines, conueniens ac iustum est. Ac si quis alius liber humanus, certe hic doctrinæ cœlestis explicatæ & ordine traditæ thesaurus canone Ecclesiastico, ut Lutherus pijßimæ memoriæ iudicauit, dignißimus est.

Cogitabitis igitur iuniores uestris potißimum studijs ac commodis consulere præceptores, qui lectionem locorum uobis proponunt. Nam etsi ea perspicuitate scripti sunt, ut sine interprete legi poßint, Tamen monere rudiores de ordine membrorum & partium præcipuarum in singulis locis, eosq; uelut inuitari ad lectionem utile est & necessarium. Accidit enim ferè optimis quibusq; libris ac scriptis, quod rebus bonis omnibus euenire in genere humano solet, ut citißime memoria eorum intercidat & euanescat, ἀψίκορον γὰρ καὶ φιλόκαινον τὸ τῶν ἀνθρώπων γένος. Ac uidistis ipsi annis proximis, quanto conatu ac molimine Osiander, Staphylus & Flacius & colluuies Thersitarum his ducibus suis & calumniarũ χοραγωγοῖς applaudens, delere memoriam ac lectionem locorum Communium uel saltem inuisam ac suspectam eam reddere studuerint. Sed fremant licet & rumpantur illæ

tur illæ uiperæ, nos tamen Deo iuuante excuti nobis lectionem & amorem tanti thesauri non patiemur. Quod ut uos quoq; faciatis qui doctrinæ cœlestis ueritatem expetitis & amatis, omni ego studio propter gloriam Dei & salutem uestram uos oro atq; obtestor.

Fortassis ridiculus uideor quod furiarum illarum & ἀλαζόνων Staphyli & Flacij mentione, auribus uestris molestus sum. Nec enim dubito indignos eos, iudicari à uobis, quorum saltem nomina aures bonorum & eruditorum offendant. Et ipsa sibi ueritas instar est Myriadis testium, nec defensione operosa indiget. Viuit enim ac uincit, etiamsi calumniarum procellis duriter concuciatur. Fateor hæc ego, Sed malo ineptus uideri, quam ueritati suffragium honestum & debitum meo loco non tribuere, aut calumnias & mendacia horribilia istarum quas dixi furiarum tacendo probare uideri. Nec ego nunc locorum Theologicorum uel defensionem uel laudem instituo, quos scio & inuictos esse genuina sua firmitudine ac robore, & non infantili balbutie nostra, sed summorum oratorum eloquentia ornari oportere intelligo. Itaq; ne mepte aut tenuiter & locos ipsos, & consilium Præceptorum ornando, deformare potius, quam laudando commendare discentibus uidear, prolixiore hac de re oratione non utar. Vnico tamen hoc addito, quod usus discendi me edocuit. Ita in doctrinæ cœlestis studio unusquisq; uestrum profecisse se plurimum existimet, Si scripta Philippea, quorum ceu copiæ cornu & fons uberrimus sunt hi ipsi loci Theologici, ita ei placebunt, ut quo legat sæpius tanto ea amet & legat impensius. Nam quibus in uita mea lætor ego ac delector maxime, Vt hoc bono lætor unice quod doctrinæ cœlestis ueritatem Dei beneficio agnoui, Ea ego omnia qualiacunq; aut quantulacunq; sunt, ut scio esse tenuia, infirma & infantilia omnia, ubertim mihi post scripta Prophetica & Apostolica, tum uiua Præceptorum charissimorum in hac Schola uoce, tum lectione potissimum horum locorum suppeditata esse fateor. Ac lectionem sacrorum librorum non solum difficilem, sed penè infructuosam futuram mihi fuisse agnosco, nisi scriptis ac monitionibus Philippæis iter ad eos compendiosum & aditus expeditus monstratus esset, Idem non dubito testaturos esse

bonos & pios omnes, qui non populari adplausu, non inani & falso doctrinæ supercilio ac fastu, non calumniarum maleuolentia aut fascino dementati, Sed uera doctrina instructi, expetunt & amant ueritatem, & aliquo cum fructu Ecclesijs ac Scholis docendo seruiunt.

Quare & uos laboris & studij uestri emolumentum idem habituros esse non dubitate, Si scripta Philippæa, & hos ipsos locos Theologicos tanquam præ cæteris Thesaurum eximium amabitis ac legetis assiduè, Nec à lectione horum uel calumnijs, uel molestia, uel cupiditate quacunq; abduci uos permittetis.

Vt autem intelligatis quid & adferre uos ad omnium Scriptorum diuinorum, & horum locorum lectionem ac studium oporteat, quidq; expectare ab interprete quocunq; debeatis, Eruditissimum Epiphanij dictum, uobis propono, quod est regula interpretationis rectissima. Sic enim reprehendens ludos intempestiuos Origenis omnia transformantis in allegorias inquit: τα θεῖα ῥήματα οὐ πάντα ἀλληγορίας δεῖται, ἀλλ' ὡς ἔχει, θεωρίας δὲ δεῖται, καὶ διδάσεως εἰς δ' εἰδέναι ἑκάστης ὑποθέτεως τὴν δύναμιν. Non gignit Ecclesia doctrinas, aut Articulos fidei nouos, non traditos scriptis Propheticis & Apostolicis, imo ne potest quidem, Quia ut DEVM facere, aut mutare non potest, ita & articulos fidei condere aut mutare Ecclesia nequit. Accipit igitur Articulos fidei & doctrinam traditam diuinitus, confirmatam illustribus & admirandis testimonijs, & comprehensam scriptis Propheticis & Apostolicis. Horum scriptorum sermonem interpretatur Ecclesia, Ac uelut Grammatica est inquirens & eruens cuiusq; loci natiuam sententiam, congruentem naturæ uerborum & phrasi, & cæterorum locorum de rebus iisdem collationi. Inquit igitur Epiphanius in plerisq; retinendam esse hanc unicam sententiam, quam gignit natura uerborum ac phrasis. Quia enim diuinitas immensa bonitate patefacta est misso Filio, qui est λόγος & orator æterni Patris, & patefacta est ideo ut in ea Deus agnoscatur, inuocetur & celebretur, Certæ igitur, firmæ & immotæ noticiæ de Deo, de essentia eius, de uoluntate, de lege & de promissionibus tenendæ sunt, ne articulis fidei uariæ quasi formæ induendæ sunt ludis allegoriarum

 ne cere

ne certitudo amittatur. Nam etsi interdum & allegoriæ dulces sunt, nec diffitendum est plurimarum rerum imagines elegantißimas in scriptis Propheticis & Apostolicis contineri, Tamen & modum earum esse oportet, & prudentia adhibenda est, ut concinnæ sint & locis conuenientibus accommodatæ. Nam uerißimum est, quod dixit uetustas, etiam melle immodico augeri bilem, seu ut rectius græce dicitur, καὶ γὰρ τοῦ μέλιος τὸ πλέον ὄστι χολή. Nec cuiusuis est artificis dextre allegorias tractare aut uidere quo in loco quomodo deceant. Sed ante hanc inuestigationem ceu uenationem umbrarum, prior est ac potior cura aut consideratio alia, uidelicet natiuæ sententiæ iuxta uerborum & phrasium naturam inquisitio. Ideo sic orditur præceptum Epiphanius, τὰ θεῖα ῥήματα οὐ πάντα ἀλληγορίας δεῖται, ἀλλὰ ὥς ἔχει. Sed addit Epiphanius in inuestigatione huius natiuæ sententiæ Grammaticæ, speculatione & sensu opus esse, ut quæ cuiusq; loci propositi uis sit intelligi poßit. θεωρίας δὲ δεῖται καὶ αἰσθήσεως εἰς τὸ εἰδέναι ἑκάστης ὑποθέσεως τὴν δύναμιν· Existimo nominari θεωρίαν considerationem ordinis & distinctionem membrorum in toto corpore doctrinæ, sicut dialectica tradit definitiones & diuisiones, & discernit connexiones fallaces à ueris & necessarijs. Scitis enim has artes uicinas ac cognatas esse Grammaticen & Dialecticen, Et mutuas ad inuicem operas tradere. Grammatica sermonis & phrasium naturam ac proprietatem inquirit. Dialectica acceptum à Grammatica sermonem proprium & simplicem rebus quasi adplicat, & distinctis rebus ceu numeratione nomina diuersa & definitiones attribuit, quærit membra, partes, causas, effectus & alia quæ accedunt. Deinde in ratiocinando componit cohærentia, & distrahit diuersa. Hunc docendi modum nominat Epiphanius θεωρίαν, eumq; necessarium esse in plerisq; scriptorum diuinorum locis adfirmat. Ac manifesta est neceßitas. Quia ideo indidit Deus naturis intelligentibus numerorum, ordinis ac consequentiarum noticias, ut & discernere res & disponere aut contexere ordine possent. Et ipse inenarrabili misericordia se patefaciens doctrinam hoc modo tradidit, quia discerni eam, & ordine doceri homines uult. Nam ideo instituit & seruat ministerium Euangelij, ut suæ doctrinæ uox ordine tradatur & enarretur rudioribus, Vult & docentem & discentem intelligere

telligere aliud legem esse, aliud Euangelium, Ac quid sit Lex, quid peccatum, quid Euangelium, quid gratia, quid fides, uult ex sua uoce quam tradidit ac patefecit, disci & doceri ordine, Non uult in unũ quasi chaos misceri hæc omnia. Manifestum ergo est harũ uocum distinctionem & enarrationem necessariam esse. Et quidem nostrorũ temporum certamina magis id ostendunt, in quibus compertũ est multorum seculorum tristes tenebras fuisse, quia Ecclesia linguam suam pene dedidicerat & oblita erat, seu, ut Euripidis uerbis utar, βεβαρβαρωται χρονίη οὖσα ἐν βαρβάροις. Et nunc uidemus quanta sit huius seculi insulsitas, quanta dogmatum immanitas ac barbaries paulatim in Ecclesiam irrepat, Quidam adeo nunc lepidi sunt, ut deliciarum suarum causa quas admirantur, adfirmare non erubescant nusquam in uoce diuina de cognitione uerbi scriptum esse, quod nihilo est uenustius aut concinnius dictum, quam si uerbum magica quadam ui efficax esse adseuerent, ut illa apud Virgilium φαρμακευτρια, Ducite ab urbe donum mea carmina ducite Daphnim. Aut, Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis &c.

Ita subinde discedunt, à simplici & natiuo uocis diuinæ intellectu innumerabiles, qui portenta opinionum comminiscuntur, & his bella Ecclesijs pijs inferunt. Sunt igitur tales refutandi uoce docentium, qui quidem iuuabuntur maximè forma illa docendi quam nominat Epiphanius θεωρίαν, iuuabuntur & discentes, quia doctrinam celerius arripiunt ordine ac perspicue expositam. Complectendæ sunt autem sub hac docendi forma, & coniungendæ, linguarum cognitio, Dialectica, & aliæ doctrinæ, Sed ita ut metæ seruentur, ne à natiua sententia scriptorum Propheticorum & Apostolicorum nec à Symbolis discedatur. Hæc enim omnia non sunt ambigua & intricata Sphingos ænigmata, non Sybillarum responsa, ut uel intelligi nequeant, aut allegorias his ceu diuinatione adfingere oporteat, sed adhibito iudicio communi, & doctrinarum forma usitata, & collatis congruentibus testimonijs, ac locis, conspici & intelligi á non stupido possunt. Et est in his certitudo comprobata & confirmata adfirmandis & illustribus testimonijs diuinis, quæ ideo addidit Deus patefactioni uerbi sui ut certo agnosceretur & iuxta hoc traditum uerbum celebraretur.

Nec

Nec sunt audiendæ blasphemiæ & contumeliosæ uoces Satellitij Pontificum, ineptum & ridiculum esse à Scriptura petere certam sententiam de difficilibus religionis controuersijs, Tales uoces non dubitemus attrahere pœnas totis gentibus, Ideo & auersemur eas, & ea qua dictum est consideratione certitudinem uocis diuinæ inquiramus, & inuentam constanter tueamur.

Est hæc consideratio, prima & potißima, Sed postulat Epiphanius & sensum, id est, pectus quod in uera conuersione sensit ea, de quibus uox diuina loquitur, sensit timorem & consolationem, sensit mortem & uitam, deniq; quod intelligit uera pietatis & inuocationis exercitia. Et hæc pars in utrisq; docentibus & discentibus necessaria est, Et simul ad lectionem & studium uocis diuinæ adferenda, Non discimus quid sit dolor, pauor, mors, consolatio, fides, læticia, uita, nisi in exercitijs inuocationis & pœnientiæ ueræ. Sicut scriptum est, Qui non est tentatus qualia scit. Prophani qui nec expauescunt cogitatione iræ Dei, nec in ueris doloribus eriguntur consolatione, non intelligunt neq; dicta de ira Dei & de timore, neq; consolationes, neq; fidei & uitæ motus, Ac ueluti surdis dulcißimæ cantuum harmoniæ ita prophanis & ἀθεοῖς doctrina erudita occinitur. Ideo & Paulus præcipiens in lectione attentionem & aßiduitatem, hanc ipsam partem plurimis in locis adiungit. Quia hæc experientia nisi cum lectione coniungatur, frustra lectio ac cogitatio suscipitur, Aut, quod proh dolor, hoc nostro seculo fieri cum magno Ecclesiarum detrimento ac pernicie uidemus, totus ille apparatus quem lectione sacrorum librorum, malæ, liuidæ & inquietæ naturæ prophanæ compararunt, seruire horribilibus earum furoribus & cupiditatibus prætextu pietatis ac religionis cogitur. Hinc enim sunt horribilia illa omnium in Ecclesia temporum certamina, Ac nostri quidem seculi teterrima, quod religionis obtentu spurcißimi Sycophantæ linguas suas uenum non pecuniæ, sed libidinibus potentum prostituunt, aut religiones inflectunt quocunq; ferri cupiditates eorum uident, quibus assentantur. Tales si iuxta Epiphanij, aut Pauli dicta ueræ inuocationis et pœnitentiæ exercitia, si sensum aut gustum aliquem timoris & iræ Dei, si consolationis, læticiæ & uitæ degustatæ rudimenta, ad

ta, ad profeßionem doctrinæ cœlestis adferrent, Aut si qua tantarum rerum initia aliquando delibata non obruerent horribilibus contra conscientiam sceleribus, minus Ecclesia detrimenti caperet.

Sed nolo uulnera nostra attrectare ac refricare, Potius hortabor iuniores, ut præcepta Pauli sæpißime hac de re repetita intimis cordium penetralibus infigant. πρόσεχε τῇ ἀναγνώσει τῇ παρακλήσει τῇ διδασκαλίᾳ, 1. Timoth. 4. & Colloss. 3. Habitet sermo Christi in uobis opulenter, cum omni sapientia, docentes & commonefacientes uos mutuo. Et Syracidis capite quinto, Quæ mandata sunt tibi hæc reuerenter cogita. His diuinis præceptionibus commonefacti ne prostituamus Diabolis studia, pectora aut linguas nostras, sonantes uocis diuinæ profeßionem, Sed prætextu atq; obtentu huius indulgentes furoribus horribilibus, quo uel nostræ uel aliorum nos cupiditates quasi captiuos abijciunt, Adferamus pectora ardentia timore Dei, fide, inuocatione, & spe auxilij diuini, Ac quæ docendo profitemur, aut discendo appetimus, exprimere reipsa studeamus, quantum in hac tanta infirmitate nostra possumus, Et misceamus studijs nostris uota & gemitus aßiduos, & regi, gubernari ac protegi nos petamus. Deniq; procul sit à cœlestis doctrinæ studiosis cupiditas iniusta ac temeraria quæcunq;, præcipue autem secutura prophanitas religionis profeßionem uenalem circumferens, & cupiditatibus quorumcunq; eam prostituens.

Ita uidetis sapienter ab Epiphanio in docente uiam docendi, Et in utroq; docente ac discente pectus docile & pium requiri. Simul igitur intelligitis quid & expectare uos ab interprete sacrarum literarum oporteat, Et quibus quasi ἐφοδιοῖς ad has operas discendi ac cognoscendi doctrinæ cœlestis uocem accedendum sit. De priore, quod maxime ad docentem pertinet, cum conscius mihi sim imbecillitatis meæ multiplicis, & infantiæ etiam, quæ non est par oneri iniuncto, non possum profiteri aut polliceri, Nisi hoc unum, præstiturum me, Deo iuuante, reipsa, ne aßiduitatem, ne diligentiam, ac fidem in me discentes desiderent, Et quam à Præceptoribus charißimis καὶ θεοδιδάκτοις accepi doctrinam, ea recitare fide conabor, qua me in discendo adiutum esse

memini,

memini, Et quotidie adhuc iuuari ac prouehi intelligo ac fateor.

Scio explicationem dogmatum Ecclesiæ propter multas causas opus esse difficillimum, Et quanquam necessarium est, tamen plenum esse ingentium periculorum, propter quæ scio multos ab his castris, & ut dicitur, ἔξω θέλους procul abesse malle, quia simul à multis & diuersis hostibus ardentibus odio & furore, Academiarum militia oppugnatur. Sed erigo me fiducia auxilij & præsentiæ filij Dei, & in his castris Academiæ nostræ quamuis infans & balbutiens periclitari malo, in qua scio Dei beneficio hæc magna bona esse, ueritatis inquisitionem, defensionem ac propagationem necessariam, Et deinde candorem iudiciorum & dulcem concordiam omnium docentium. In tali Schola cum Dei beneficio doctrinæ cœlestis propagationem adiuuare meo loco, & uelim & officij ac pietatis ratione debeam, Ac sciam nullum aliud in Ecclesia maius scelus esse quam ludere fingendis opinionibus nouis, & discedere à Prophetica & Apostolica scriptura, & consensu ueræ Ecclesiæ Dei, Sequar Deo iuuante huius Scholæ nostræ doctrinam, quam sine ulla dubitatione sentio consensum esse Ecclesiæ catholicæ Christi, & eruditorum & piorum omnium omni tempore, Cumq; propter multas alias causas uenerari me hanc Scholam tanquam matrem, eamq; ἀντιπελαργῆσαι officijs omnibus iustissimum sit, ab hoc me proposito tuendæ eius consociationis cupiditate nulla abluci patiar. Hac uoluntate rectissima & iustissima accedere me ad docendum certo sibi persuadeant omnes, qui me audituri sunt, Quibus ut dixi præter hanc uoluntatem pissimam polliceri aliud nequeo, quam fidem & assiduitatem talem, qualis requiri ab homine potest, Sicubi autem oneri impositio infirmitas mea succubuerit, reuerenter iam oro & obtestor omnes, ne ab hac quam professus sum curriculi mei meta proposita, discessurum me in omni æternitate existiment, Profiteor me esse ciuem Ecclesiæ & Scholæ nostræ, quam censeo uere esse Ecclesiam Dei, & uera animi pietate eam ueneror, nec me ab ea unquam in docendo seiungam, At quomodo curriculum docendi subire ac sustinere me posse sperem non profiteor, nisi quod hac me consolatione sustento, Non erit labor uester inanis in domino. Huic ego uitæ & uitæ & ministerij mei cursum commendo, Et pios ac doctos ut candide de laboribus nostris iudicent reuerenter oro.

De posteriore, quod postulat Epiphanius, hoc est, de sensu & experientia ueri timoris DEI, & uerarum consolationum, facerem insulse & ineptè si hoc loco glorioſe multa profiterer, sed cum & hanc partem in docente requirat Epiphanius, imò uox diuina locis innumerabilibus, aliud de me non adfirmo quam detestari me, toto pectore furores Epicureos, Fanaticos & Prophanos omnes, eos autem maxime, qui pietatem esse somniant religionis futilem professionem, Ac subinde has uoces repeto, Fac Domine cum seruo tuo secundum misericordiam tuam & iustificationes tuas doce me, Expecto domi num & sfero in eum, Expectauit anima mea in uerbo eius à custodia matutina usq; ad aliam.

Hæc ideo commemoro, ut cogitent iuniores & ipsos uoluntate eiusmodi instructos ad studia doctrinæ cœlestis accedere oportere, quam nisi adferant paruo cum fructu suo in his uersabuntur. Vtrumq; autem bonum, doctrinam & pectus docile cum tribuat filius Dei λόγος & orator æterni Patris, qui uoce Euangelij Ecclesiam æternam sibi in genere humano colligit, ac ipse doctor est cordium fidissimus & ueracissimus, toto cum pectore oro, ut omnes nos & in docendo & discendo regat, gubernet, protegat, Et in mentibus nostris, non solam doctrinæ lucem accendat, Sed ueram etiam inuocationem & pœnitentiam, timoris & consolationis sensum confirmet ac prouehat, Cumq; in agone suo precatus sit ipse, Pater sanctifica eos in ueritate tua, sermo tuus est ueritas, sint & unum, sicut nos unum sumus, Adiungo ad huius nostri pontificis uota & nostros gemitus, eumq; iterum oro, ne sinat Euangelij sui lucem inter nos extingui, nec in furores Epicureos aut fanaticos ruere nos patiatur, Sanctifica nos in ueritate tua Domine Iesu Christe. Sermo tuus est ueritas, Amen.

DIXI.

SIGNIFICATIO PVBLICA DE lectione Ethices ad studiosos auditores in Academia Vuitebergensi.

CRas ubi cœli medio regressus
Phœbus ad Nerêi properabit undas
Vmbra Gnomonisq; notabit horæ
Signa secundæ.
Quod scholæ iussit, facer ordo, nostræ
Me Magistratus, licet arduum sit
Et meas uires superet tenellas
Ethicas tradam.
Sic onus dorso positum recuruo
Sæpius lentus male fert Asellus
Sed tamen nutu Domini potentis
iussa faceßit.
Et leuat pondus, studiosa pubes,
Deditum uerè tibi pectus, à quo
Semper optatis tua præferuntur
Commoda nostris.
Sed prius mos est aliquid monere
Cum nouæ uobis operæ inchoantur
Et solent dici pia corde & ore
Vota precesq;.
Ergo quod faustum uelit esse Christus
Patris æterni λόγος atq; imago
Pauca præfari statui modestè
Tempore dicto.

P. Vincent. Vratis.

NOBILITATE GENERIS INgenio, eruditione, & uirtute præstanti Iuueni Marco Othmanno Vratislauiensi adfini & fratri suo cariss. S.

EXpetere te pro mutua nostra beneuolentia memini lectionem eius orationis, quam nuper post meum ex patria reditũ habui, quod in ea uiri Dei Philippi Melanthonis Patris & Præceptoris nostri carißimi manibus, ut tum loquebamur, parentassem. Eam inter alicrum eiusdem ferè argumenti scripta publicatam optime mi Marce adfinis carissime ad te mitto cum oratione altera de Philosophiæ moralis studio, tibiq; dedico utranq;, nulla alia caussa, nisi ut exiet meæ erga te absentem constantis & perpetuæ beneuolentiæ testimonium. Scio te dona Dei in Philippo & excellentes uirtutes cum inæstimabili eruditionis copia una mecum ut par fuit, semper ueneratum esse, & nunc etiam mirifice diligere totam illius familiam, Qua in re idem facis quod uir clarißimus Franciscus Hotomannus gentilis tuus, qui est Argentinæ singulare decus et ornamentum laudatißimæ familiæ uestræ, quem uirum meminisse potes de multis sermonibus nostris Philippo singularem semper amicum fuisse, Leges igitur tu quoq; has nostras lamentationes cum beneuolentia καὶ ἐπιεικείᾳ & me, quod facere te certo scio, amabis, atq; ita statues dulcißimam esse animo meo quotidianam cogitationem adfinitatis nostræ & eius coniunctionis, quæ tecum mihi, & cum honestißima OTHMANNORVM familia intercedit. Scis me ab omni adulatione natura & uoluntate abhorrere, Sed de familia uestra Menandri uersum crebris sermonibus & uerè usurpare soleo,

ὡς ἡδὺ σαυτὸν χρηστὸς κεκραμμένον.

Bene & fœliciter Vale. Francisco Crammio uiro Cl. & optimo S. opto, Quam & tibi adscribi uoluerunt fratrum tuorum, qui apud me sunt filij, Nicolaus & Henricus Othmani, & cum his Godefridus Ribischius adfinis noster, & Thomas Redingerus præstantis ingenij & præclarißimæ spei adolescentes, quos à me omnes & singulos scis uere & ex animo diligi, Vuitebergæ IX. Cal. Iulias.

Petrus Vincentius Vratis.

PETRI VINCENTII VRATISlauiensis Oratio, Habita initio lectionis Ethicæ, Vuitebergæ, Anno M. D. LX.



QVOD M. CICERO NARRAT SE paulò post mortem Carneadis obambulantem Athenis in Academia solo conspectu eius exedræ, in qua ille docuerat, mirificè commotum esse, non solum quod nota illius imago animo obuersaretur: Sed etiam quod à sede ipsa tanta ingenij magnitudine orbata, uocem illius requiri putaret, id ego cum plurimis uestrum adfirmare uerissimè possum, multo magis accidere nobis, ut quoties ad prælectionum publicarum operas accedimus, & nostri auditorij intuemur parietes, intra quos reuerendum & clarissimum uirum D. Philippum Melanthonem tot annos cum singulari fœlicitate & fructu Ecclesiæ doctrinam & alias uitæ utiles artes ac studia tradentem & explicantem audiuimus, loca iam ipsa tanti uiri uoce & donis orbata, quasi mœsticiam ostendere suam, & illius nobis erepti triste desiderium subinde renouare & acuere uideantur.

Nam huc quoties ingredimur, quid aliud cogitare possumus? quàm nos cum grauissimo animi nostri dolore & ingente Reipublicæ clade amisisse, non modo, quod de Carneade memoriæ proditum est, ingenij amplitudine, dicendi suauitate, eruditionis copia & uarietate, iudicij rectitudine, præstantissimum uirum & Stoicorum delyriorum profligatorem acerrimum, in quibus omnibus, cum Attico Carneade Philippo nostro similitudo minime obscura fuit, sed quod est multo amplius amisimus ex ueræ Ecclesiæ & nostro cœtu Virum Dei, una cum Luthero excitatum diuinitus & singularibus donis à spiritu sancto instructum & mirificè ornatum, ad ueræ de Deo doctrinæ, quæ superstitionibus Monachorum & pontificiæ colluuiei Tyrannide multos annos oppressa latuerat, salutarem in Ecclesia postremi temporis instaurationem, & fructuosam ad posteros propagationem. In quo quidem opere, omnium difficilimo atq; maximo, præcipue hunc nostrum Præceptorem Luthero sanctæ memoriæ fidelem παραστάτην, διαδόχον, καὶ ὑπερασπιστὴν fuisse, & quidem in singulari Christianæ cum prudentiæ, tum moderationis, καὶ πραότητος studio atq; conatu & sancto & salutari usq; ad extremum uitæ Spiritum, licet omnes non hypocritæ solum, sed etiam Sycophantæ fremant, & agnoscere nos oportet & palam fateri. Sed de hac re alio loco & tempore, & ad aliud quasi auditorium, uel oratione uel scriptis acturi sunt, quos oportet, omnes & suo loco singuli, cum Cynicos quosdam allatrare solitos aliunde ex tutis receptaculis, tanquam fimo proprio, inconditis procul rictibus uiuum hoc Dei organum, ne quidem defuncti sanctissimis manibus pepercisse, fuerit animaduersum atq; compertum.

Nunc ad nos ipsos hæc mihi instituta oratio est, qui cum discendi studio inflammati, ad uocem præstantissimi uiri, docentis intra hæc ipsa Scholæ subsellia conuenire frequentes soliti simus, etsi luctus nostri socios omnes ferè bonos, ubiq; terrarum habemus: nos tamen potissimum de quotidiano aspectu eius loci, in quo duos & quadraginta annos illè ex omnibus nationibus multa hominum milia de Deo, piè, utiliter, & cum orationis uiuæ, ac gestui summa suauitate, erudijt, & omnibus simul philosophiæ partibus, omnibus disciplinis, & linguis, detersa superiorum temporum squalore, & barbarie explosa, lucem optatam attulit, grauius commoueri necesse est. Verè enim & hoc dixit Cicero tantam uim admonitionis inesse in locis, ut non sine causa ex his etiam à sapientissimis hominibus memoriæ ducta sit disciplina. Non igitur mirum uideri cuiquam debet, si & suspiria nostra & gemitus & signa alia sæpenomero animaduertuntur ex hoc loco, declarantia illius ex consuetudine nostra sublati & graue & iustum desiderium.

In quo cum uoluntati Dei, qui illum, post fœliciter consummatum sanctissimæ functionis suæ in hac uita curriculum ad Academiæ cœlestis exoptatissimam consuetudinem transtulit, necesse sit nos obtemperare, reprehendendi non sumus, quod mœsticiæ communis & desiderij remedia, quærimus, non solum

solum quibus dolorem aliquo modo leuemus, quæq; illius absentis dulcem & nobis, et auditoribus nostris memoriam faciant, & semper ipsius paretem meliorem, quæ animi est atq; ingenij, quasi in conspectu ponant, sed etiam quæ ad doctrinæ studia longè lateq; propaganda idonea sunt, & fructuosa, & cum utilitate profectuq; discentium coniuncta.

Huius generis est continua lectio ipsius scriptorum, quæ nobis reliquit in omni genere doctrinarum, plena ingenij, pietatis, eruditionis, iudicij, suauitatis, & eloquentiæ cuiusdam Xenophonteæ, deniq; eius modi, non solum quæ ad immensa multiplicis doctrinæ in omnibus disciplinis uolumina studiosis patefaciãt aditũ, sed etiam quibus progrediendi rationes in doctrinarum amplissimis spatijs, & ad scopum eruditionis in Ecclesia utaq; communi utilem, accommodati regressus methodo expeditissima commonstrentur, Et quidem omnia hæc admirabili ingenij sagacitate, iudicij rectitudine, & explicationis facilitate erutа, distincta, atq; declarata ad eum modum, ut mens auida doctrinæ, nisi plena sit eadem uel stuporis, uel malitiæ, nihil amplius requirere posse uideatur.

In his igitur uiuit & superstes est nobis etiam in hac uitæ consuetudine Philippus, nobiscum loquitur, nos erudit, monet, consolatur, tantoq; nobis consiliorum, cogitationum & iudicij de multis dogmatum controuersijs communicatione proprior futurus est, quantò maiore sedulitate, studio & cõtentione discendi eius eruditissima et sanctissima scripta coluerimus, & assidua lectione familiaria atq; domestica nobis fecerimus. Horum enim ductu & uiuo quasi magisterio habituri sumus aditum, non solum ad cognoscenda, omnium magnarum disciplinarum atq; artium quarum in uita est aliquis usus, penetralia, Sed etiam ad intelligenda doctrinæ de Deo, et eius uoluntate Ecclesiæ tradita in scriptis Apostolicis & Propheticis sacrosancta mysteria.

Quare & illustrissimi Principis Electoris consilium, & senatus Academiæ decretum, de continuatione earum lectionum, quas hoc ipso in loco publicè proponere reuerendus D. Præceptor solitus fuit, laudandum est, non modo quod pristinus studiorum in Schola ordo mæstitiæ nostræ aliquam adferat leuationem, Sed etiam quod hoc modo discentium doctrinam de Deo, & artes Philosophicas, quæ sunt utiles & necessariæ ad multarum in uita maximarum rerum explicationem, studijs & utilitati recte sapienterq; prospectum esse atq; consultum appareat.

Cum autem in eodem senatusconsulto, quod de lectionum distributione publicatum est, absenti mihi, &, ut scitis, in patria tum temporis peregrinanti, demandata sit explicatio pulcherrimæ partis Philosophiæ, quæ de fine conditi generis humani, de uirtutum actionibus, & harum moderatrice iustitia, quam non minus ucrè quam eleganter dixit Aristoteles Hespero & Lucifero formosiorem esse, dulcissimè disputat: uolui declarare hoc loco, me, etsi ingenij mei & eruditionis, si qua est, tenuitatem, nequaquam parem esse amplissimarum rerum, quæ in philosophia morali tradantur, explicationi, facile agnoscam, nihilominus tamen uoluntati, primum Illustrissimi Principis, deinde reuerendorum Præceptorum & Collegarum, quos omnes & singulos, ut debeo, & ueneror, & amo, in eo, quod aliter se nolle sæpè iam ostenderunt, pro utribus obtemperaturum esse, nec tam meæ imbecillitatis, quam obedientiæ, & cum hac coniunctæ publicæ, non dico utilitatis, quæ haud scio an expectari ulla à me in hac mea mediocritate possit, quam necessitatis habiturum esse rationem. Quod eo dicendum mihi publicè existimaui, ut constaret omnibus, me non aliqua fiducia ingenij aut instituto proprio meo, sed officio & ea qua Academiæ obstrictus sum fide, adductum hoc onus officij atq; laboris non ex meo, sed Reipublicæ necessario tempore suscepisse.

Vt autem initium sit auspicatius, cum, ut à Platone grauissimè dictum est, omnium rerum dicendarum & faciendarum principium à Deo proficisci debeat, Primum omnium ardentibus uotis, & toto pectore inuoco te omnipotens, uiue, & uerissime Deus, æterne pater Domini nostri Iesu Christi, cum filio tuo coæterno Domino nostro Iesu Christo crucifixo pro nobis, & resuscitato & Spiritu sancto tuo, fons sapientiæ & salutis, sine cuius numine nihil est in homine, ut, cum ministerio doctrinæ & non aliter colligas tibi Ecclesiam ex toto genere humano, nostri etiam miserearis propter unigenitum filium tuum domi-

num nostrum Iesum Christum & accendas in nobis ac ſerues perpetuo lucem uerbi tui in his regionibus, & in hoc cœtu nostro, ac regas studia doctrinæ & labores nostros, & efficias pro immensa bonitate, & φιλανθρωπία, ut aliqua tibi à nobis grata fiant & puritas doctrinæ Euangelij & optimarum artium studia à Præceptoribus nobis tanquam nobilißimum depositum fideliter tradita & relicta cum gloria & celebratione debita sanctißimo & æterno nomini tuo transmittantur ad posteritatem, cum huius & nostri omnium salute æterna, & quadam in hac etiam uita studijs necessaria εὐκμερίᾳ & tranquillitate.

Deinde & adolescentia commonefacienda est de hac utilißima & necessaria doctrinæ parte, inquirente ultimum finem conditi generis humani, & explicante eruditè admodum causas, partitiones & officia uirtutum & discernente actiones iustas ab iniustis, eam nequaquam tradi uel cõsilio uel studio abducendi iuuentutem à reliqua Philosophia, aut confundendi dogmata philosophica cum doctrina Ecclesiæ, aut reuocandi ad rationis humanæ normam Euangelij, ut sæpè ineruditi clamitant. Sed hoc agi ut dedita studijs doctrinæ adolescentia sciat ad Physicen & Mathematica studia hanc eruditiorem Philosophiam, tanquam exædificationem quandam doctrinæ liberalis, quæ hominem à rerum extra se positarũ contemplatione quasi domũ ad sese reducat, adiungendam esse, quod apud Græcos, primus omnium inter philosophos rectè & sapienter uidit, ob hoc ipsum, ut arbitror, non immeritò præ cæteris sapientißimus, etiam oraculi iuditio declaratus Socrates. Quid enim utilitatis habiturum esset omnes omnium rerum causſas in natura ingenij sagacitate subactas & perspectas tenere, ipsius autem ingenij atq; adeo hominis, & earum, quæ huic attributæ diuinitus sunt uirium ignorare & negligere ultimam causſam & usum, quod uerè esset foris sapere, domi desipere, & philosophari ad exemplum eorum hominum, de quibus dicitur. φάσκοντες εἶναι σοφοὶ ἐμωράνθησαν.

Deinde nec Euangelium nec Legem Dei & Philosophiam ita misceri uolumus, quemadmodum malus sæpè multa iura confundit cocus, ut in Comœdia dicitur, quod ἀπαίδευτοι & literarum osores inconcinnis sepe clamoribus contumelioſe de studijs nostris uociferantur ad uulgus.

uulgus. Scimus enim nos etiam confusionem horum generum parere horribiles errores, Idem tamen sobriam horum eruditamq; collationem, generibus doctrinæ singulis rectè intelligendis, & multo magis perspicuè, quam ab indoctis fieri possit, discernendis, plurimum lucis adferre, & ob hoc ipsum necessariam esse docentibus & discentibus & adfirmare possumus & contendere debemus.

Eruditè autem monstratis discriminibus, quod fieri necesse est, æluceſcit suaſponte & conſpicitur Philoſophiæ de moribus laus & dignitas, quæ multo maxima & euidentißima est, cum intelligitur eam uerè partem esse diuinæ Legis, seu, ut Paulus ad Roma. grauißime nominat, τὸ θεῖον δικαίωμα.

Vix Plato & Aristoteles uel ullæ philosophorum literæ sic unquam philosophiam ornarunt. Quod cuiusmodi sit ut intelligatur, discrimen teneri oportet, & propriæ metæ in singulis doctrinarum generibus considerandæ sunt. Quotidie uero auditis Euangelium esse, promißionem Dei gratuitam de condonatione peccatorum, quæ multa & magna in hominibus esse, sicut & pœnas, Philosophia etiam aliquo modo intelligit, tametsi remedia ignoret, & de reconciliatione cum Deo, de instauratione humanæ naturæ, de Dei communicatiõe, quæ inchoatur in nobis dato & effuso in nos sancto Spiritu, deniq; de iusticia uita & lætitia in Deo æterna, positam quidem longe supra omnem humanæ rationis captum atq;, intellectum, sed patefactam tamen & ex sinu arcanæ sapientiæ æterni patris, reuelatione filij ipsius unigeniti domini nostri Iesu Christi, facti hominis nostra causſa allatam, & accipiendam fide gratis sine uirtutum aut dignitatis nostræ respectu.

Hæc esse aliena à philosophia, & tanquam barbara uerba, nec de iusticia & beata uita, ut quidam grauis Poeta dixit, sic loqui solitos Quirites, quamuis omnem illi Græcorum ingenioſißimorum hominum sapientiam ad sese transferre studuerint, manifestius est, quam ut indigeat longa declaratione.

Porro Legem DEI, quæ propriè sic uocatur, in explicatione

dogmatum Ecclesiæ, constet esse doctrinam nihil promittentem gratuitum, sed seuere præcipientem toti generi humano obedientiam perfectam ad amussim, ut dicitur, & congruentem ad normam mentis diuinæ, requirentis omnium in homine uirium interiorum & exteriorum integritatem, perfectionem & innocentiam tum erga Deum ipsum, tum etiam ad homines, ac denunciantis iram & horribiles pœnas non obedientibus ad omnem æternitatem. Sed cum conditione tamen præstitæ eius, quæ requiritur, obedientiæ, præmia bonis pollicentem.

Sic utriusq; doctrinæ consideranti & intelligenti discrimen, facilè iam apparet, cum quo genere adfinitatem aliquam habeat philosophia, quæ cum ab Euangelio alienissima sit, ut dictum est, neq; enim uel unigenitum filium Dei nouit, uel hominum indignorum adsumptionem diuinam adprobationemq; intelligit, quomodo ad alterũ genus doctrinæ quadret, uidendum est. Propius autem & quam rectissime intuentibus hoc totum quod Philosophia moralis nominatur, manifestum est nihil esse aliud, quam Legem naturæ, ob ingeniosissimis hominibus animaduersam atq; ordine explicatam. Lex autem naturæ, est notitiarum, diuinitus in hominum mentes sparsarum, Lumen discernens honesta & turpia seu uirtutes & uitia, pro facultate humanæ rationis, seu ut loquimur, quoad usq; hæc in præsenti statu progredi potest.

Fuerat quidem tota Lex diuina hominum initio conditorum impressa mentibus. Sed post tristem lapsum, de quo nos erudierunt Prophetiæ literæ, degenerante in magnam imbecillitatem hominum natura, caligo quædam mentes oppressit, qua hæ impeditæ ad illum perfectæ obedientiæ cordis & omnium uirium in homine erga Deum, intelligentiam nequaquam sese attolere possunt.

Atq; ea causa est cur denuo Lex diuina in rupe Sinaide inter horrenda tonitrua aspiciente & audiente infinita hominum multitudine postea lata sit. Mansit tamen in hominibus illud naturale de honestis actionibus iuditium seu notitia, quam uocamus discrimen honestorum & turpium, nascens cum hominibus, quod ipsum est Lex naturæ & Legis

diuinæ

diuinæ quædam pars. Nec imbecillis humana natura, qualis nunc, ante nouam in mentibus uerbo Euangelij, & à spiritu Sancto accensam lucem esse deprehenditur, habet ullam dotem præstantiorem, quam has ipsas noticias discernentes honesta & turpia, quæ eruditissimum uestigium Dei sunt in natura, & qualis illesit, aliquo modo ostendunt. Nam perpetuæ & certæ noticiæ quæ lucent in mente, & iudicant sapientiam, iusticiam, castitatem, beneficentiam, ueritatem, res bonas & expectandas esse, & contraria his noticijs mala esse & destruere naturam, ideoq; uitari debere, nequaquam casu oriri, aut ex Democriti atomis confluere potuerunt. Sed caussam præstantiorem esse necesse est, uidelicet mentem aliquam æternam quæ & ipsa sit sapiens, uerax, benefica, iusta, casta, auersatrix & uindex scelerum, Cum fieri non possit, uel ut causa toto genere effectu sit deterior, uel etiam ut melior natura à deteriore oriatur.

Hæc ita sunt plana atq; perspicua, ut si quis reclamet aut aduersetur, cum non sanum esse hominem, non sanus iuret Orestes, ut Horatius ait: Quod si natura hominis integra mansisset, tum uero in nostra mente plenius reluceret Deus, & mens prædita notitia puriore & integriore, esset multo illustrior Dei imago, Vnde intelligi potest magnam esse dignitatem hominis cum ostenditur humanas mentes ita conditas esse, ut sint speculum in quo Dei sapientia, nempe hæc Legis æterna & immota sapientia, quasi irradiata refulgeat. Quæ quidem nunc in humano genere etsi tristi caliginis cœno conspersa, pristinam lucem & claritatem nequaquam habet: non tamen in totum extincta est. Sed manent noticiæ aliquæ communes quæ sunt lux illa naturæ, de qua dictum est, honestas actiones discernens à turpibus, quam philosophia explicat, & ad actiones hominum in communi uita aptissime studet accommodare.

Non igitur philosophiam cum Euangelio confundimus, sed hanc illius ancillatricem esse ostendimus, seruientem utiliter in declaratione Legis naturæ, quæ est pars Legis Dei, quam non uult abolitam Euangelium, sed potius stabilitam sicut dicitur in Paulo. Fide legem stabilimus. Et ipse Dominus inquit. Non ueni soluere Legem, sed implere. Hæc

ie. Hæc alibi copiosius declarari solent, sed hoc loco breuiter attigimus, ut iuniores considerent doctrinarum discrimina, & cogitent hanc præcipuam et ueram laudem esse philosophiæ moralis, quod sit pars Legis diuinæ, ac legem Dei fontem esse ac scaturiginem huius doctrinæ. Cuius quidem riuos quod alij puriores deduxerint, alij minus puros, id impedire nos non debet, quo minus statuamus, in ciuilis uitæ statu, à quo dum uiuimus excludere nos non possumus, nisi humanitatem omnem exuere uelimus, uerissimum esse, quod de hoc toto genere doctrinæ in Platonis. Timeo grauissime scriptum legimus. ὅτι τῆς φιλοσοφίας οὐ μέζον ἀγαθὸν οὔτε ἦλθεν, οὔθ' ἥξει ποτὲ τῷ θνητῷ γένει δωρηθὲν ἐκ θεῶν.

Nam quod ad sectarum dissidia, ac dissentientes & ut plurimũ plenas absurditatis sententias attinet, clare adseueramus nos nequaquam Philosophiæ nomine complecti, omnes omnium opiniones, quas uel in hac, uel in alijs partibus philosophiæ quælibet secta pro libidine finxit, sed eas tantum sententias pro philosophicis agnoscimus, quæ demonstrationibus fulciuntur.

Vt enim in alijs artibus sunt principia & demonstrationes, quæ nullis possunt uerborum præstigijs infringi aut labefactari Ita & in Philosophia morali sunt certa & immota principia, ut uocant, practica nata cum hominum mentibus, ex quibus firmæ deducuntur demonstrationes de hominis natura, fine, & actionibus. Vtq; fit in Medicina & cæteris artibus, ita in philosophia morali assumi interdum probabiles rationes solent, quæ cuiusmodi sint, & quantum ualeant, iudicare artifices debent.

Hæc initio duxi monendos esse studiosos adolescentes, Primum, ne cogitent se prælectione huius partis philosophiæ de moribus abduci à reliqua philosophia. Sed moneri potius hanc mitiorem doctrinam, quæ à morum suauitate ἠθικὴ Græcis nominata est, & legum, Iuris, æquitatis, uirtutum deniq; omnium fructus ostendit, & ad ueram humanitatem uel sola quasi χαρακτῆρι, alijs præstantissimis artibus addendam esse.

esse, & eam cum Ecclesiæ doctrina nequaquam pugnare, Sed cum sit particula legis diuinæ de honestis actionibus in ciuili consuetudine uitæ, dignissimam esse hominis cognitione & studio. Eruditam autem harum doctrinarum collationem non esse doctrinarum confusionem, sed prudenter usurpatam singulis adferre plurimum lucis. Nec uolo nunc plura præfari.

Nam de utilitatibus huius dulcissimæ eruditissimæq; partis philosophiæ suo loco inter prælegendum copiosius dicendum erit. Nunc tantum hoc addo non mihi uel hominum appellatione uel uitæ usura dignos esse uideri, qui has eruditas, de summo bono seu hominis fine & de uirtutum humanarum actionibus & officijs, disputationes uel negligunt ostanter uel morose fastidiunt, cum non magis, quam Cumanus Asinus, intelligant præcipuum uitæ decus & ornamentum. Verissimum est autem quod de hac philosophiæ parte rotundè satis uereq; dixit Aristoteles, cum ait: ἀφ' οὗ καὶ πρὸς τὸν βίον ἡ γνῶσις αὐτοῦ μεγάλην ἔχει ῥοπήν.

Cum uero usitatum & studijs in commune utile sit, omnium artium præcipuos locos methodo comprehensos, idoneis atq; in communis uitæ usu positis exemplis illustratos, initio proponi adolescentibus, rectissime me facturum putaui, Si primum omnium elementa Ethices, quæ his proximis annis magno cum iudicio & eruditione conscripta & edita à Reuerendo uiro D. Philippo Melanthone circumferuntur, enarrarem.

Hic enim libellus non solum ad Aristotelicas disputationes, quarum methodum author potissimum sequutus est, lectorem præparat, Sed etiam quæstiones explicat tum nostris temporibus aptas, ac moribus utiles, tum profuturas ad formanda de multis communibus negotijs iudicia, & iuuentutem ad studium Iuris Ciuilis, et eam partem Theologiæ, quæ de disciplina et ciuilibus officijs concionatur præparaturas.

Ego uero & hunc & alios plerosq; Præceptoris postremos ingenij fœtus etiam hoc nomine pluris facio, quod ab eo iam scripti

cripti & editi, tanquam κύκνειον ἆσμα, magna suauitate, perspicuitate et iuditio, quo præditus fuit autor non solum natura magno & admirabili, sed etiam ætate iam et rerum maximarum usu confirmato, explicent quasdam horum temporum disputationes, cum ingenti studiorum ad posteros etiam utilitate.

Nam si quis ita morose & stolidè ineptit, ut nihil existimet interesse ad difficilimarum atq; obscurißimarum controuersiarum explicationem, utrum primus ingenij quasi impetus, an iudicij, ætate, eruditione, pietate, ueritatis amore & studio, ac longo rerum usu confirmati, adferatur consideratio, is sanè ὄνος πρὸς λύρας suis quam diu uolet fruatur uerè Stoicis, hoc est, ineptißimis delyrijs.

Sanis dubium esse non potest, quin ut ferrum usu splendescit, ita omnes disciplinæ, & earum partes obscuriores, usu & confirmatæ ætatis longa consideratione, tractationeq; ἄνω καὶ κάτω ἐστραμμέναι, ut Plato facere præcipit, lucem accipiant ac melius illustrentur.

Itaq; Carneadis illius Attici iterum recordor, cuius initio orationis mentionem feci, de quo cum gloriaretur, nescio quis, sed multos annos Carneadem audiuisse, argutè & sapienter subiecisse alius fertur, non quamdiu audisset, spectandum esse, sed an senem audisset, cum iam Carneadis disputationes non ad ostentatiõem et captandos plausus comparatæ essent, Sed, ut loquitur Plutarchus, πρὸς ἀ χρήσιμον καὶ κοινώνιμον, hoc est, ad utilitatem, & rerum explicationem.

Proderunt, autem hi libelli plurimum studiosis adolescentibus etiam propter methodi & Dialecticarum præceptionum in materijs iucundissimis proposita exempla, In dicendo autem & scribendo hæc tota de moribus doctrina, cum sæpè negotia in huius artis locos communes incurrant, eloquentiæ studiosis multa egregia orationis lumina suppeditatura est.

Quare quantum possum studio, beneuolentia, fide, animi contentione, tantum hortor & moneo, ut iuuentus Scholastica hanc doctrinam amet, & hos ac similes sanctißimos Philippi labores in sinu foueat, & in his potißimum uiri summi & ad doctrinam de Deo, ac ueram atq; Ecclesiæ utilem philosophiam, à superstitionis & barbariei squaloribus uindicandam excitati diuinitus, ac de Ecclesia & tota posteritate præclarè meriti eruditißimis monumentis meliorem Philippi partem, ingenium, & eruditionem, sapientiam, φιχανθρωπίαν, Nestoream dicendi docendiq; suauitatem, & perpetuum in tota ipsius uita de Ecclesia & studijs discentium bene merendi propositum, & ad Dei gloriam, inde usq; à primis annis directam uoluntatem sibi tanquam in uiua imagine putet ab oculos atq; in conspectu positam.

Horum aßidua lectione non modo desiderium illius, quod in terris reliquit non solis nobis, sed ut multorum quotidie Principum, Ecclesiarum, ciuitatum, Academiarum & præstantium uirorum literæ consolatoriæ ad nos, ad declarandum mœroris societatem, undiq; missæ ostendunt, bonis omnibus in tota Germania grauißimum reliquit, quantum quotidianus orbitatis nostræ conspectus sinit, solemur & leuemus, Sed confirmemus etiam animos nostros, ut erecti cõscientia cognitæ ueræ, utilis, & salutaris doctrinæ ad omnes uitæ casus, illius sanctißimi Præceptoris exemplo parati, Ecclesiæ & Scholæ in uera simplicitate seruientes, neq; pericula necassaria formidemus, & Sycophantarum obtrectationes atq; calumnias, quarum fœcunda est huius corruptißimi seculi licentia, fortiter contemnamus, ut sedulos in statione sua ueræ & incorruptæ doctrinæ propagatores & fidos Ecclesiæ ministros, eruditiones piæ, uel potitus eruditæ pietatis γνησίους alumnos decere omnes intelligimus.

Adiungam autem Elementis Ethicæ doctrinæ enarrationem textus Aristotelici in ijs libris, quos ad Nicomachum filium scripsisse putatur, eruditißimis & utilißimis, ne quid in hac etiam parte desiderent solidæ eruditionis studiosi. De quo consilio nostro alibi erit copiosius dicendi occasio.

Nec de mea persona faciam multum uerborum. Est enim nota uobis omnibus tenuitas mea, de qua quod unum iuuante Deo possum, sedulitatem diligentiam & fidem in docendo meam auditoribus polliceor.

Nunc æternum patrem domini nostri Iesu Christi coniunctis

uotis

uotis uobiſcũ animisq; ardenter oro, ut Eccleſiam & hanc Scholã ſeruet etiam in hac orbitate ſua, & excitet ſalutares doctores, & ipſe ſtudia doctrinæ gubernetet, et in his regionibus & inter nos perpetuã ſibi Eccleſiam colligat, propter ſanctiſſimi nominis ſui gloriam, nec ſinat fieri uaſtitatem in his terris, in quibus etſi magnæ partis hominum ingens & ſcelerata ingratitudo eſt, quæ Dei immenſa bonitate, patefacta in Euangelio abutitur, εἰς ἀσέλγειαν, Vt Apoſtolus loquitur, qualis & in Iudæa fuit Chriſto ipſo & Apoſtolis docentibus, certum eſt tamen multos eſſe ueræ Eccleſiæ ciues & uiua membra recte Deum inuocantia, ſicut oſtendit in Eccleſijs & ſchola noſtra ſonans incorrupta uox Euangelij de qua ſcriptum eſt, Verbum meum non redibit ad me uacuum. Et filius Dei inquit, Vbicunq; erunt duo aut tres, congregati in nomine meo, in medio eorum ſum.

Huic unigenito filio Dei λόγῳ καὶ εἰκόνι ἀϊδίῳ ἀϊδίου πατρὸς homini facto propter ſalutem noſtram, ſedenti nunc ad dextram æterni patris, ut det dona hominibus, & ſimul in Eccleſia præſenti & potenter efficaci inter nos uſq; ad ſeculi conſummationem, et, unquam, ſit laus, honor, gloria, triumphus & celebratio infinita cum coæterno & patre & Spiritu ſancto, unico & ſoli, ueraci, caſto, uiuifico, & omnia liberrime gubernanti ad gloriam ſuam & generis humani ſalutem Deo, & nunc & in tota æternitate. Amen.

DIXI.

ERRATA.

C. 4. f. l. 8. *lege* Nomen.
G. 3. f. 3. l. 5. *lege, dominum nostrum Iesum Christum.*
I. 3. f. 2. l. 30. *lege, tanti.*
I. 4. f. 3. 28. *sæpenumero.*
K. 2. f. 2. l. 3. *lege constat.*

(2487) 8

SELECTAE

ALIQVOT EPISTOLAE DES. ERASMI

Roterodami nunquam antehac euulgatæ.